5.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DE

SUCCESSIONE ALLODIALI ET FEUDALI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRÆVII,

Magnæ Britanniæ Regis Historici, Politices, Historiarum, & Eloquentiæ Professoris,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Publico examini subjicit,

LUDOVICUS FRANCISCUS VAN LANGEN, Hag. Bat.

Ad diem 28. NOVEMB. *loco horisque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi, cIɔ Iɔ cc.

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO

DOMINO

BARONI

DE KEPPEL,

&c. &c. &c.

COMITI

DE ALBEMARLE,

SUPREMI ORDINIS

GARTERIORUM

CEU PERISCELIDIS

EQUITI,

&c. &c. &c.

PERILLUSTRI

DOMINO

D. EVERARDO a WEDE,

E BARONIBUS DE WEDE,

D. DOMINIORUM A WEDE,

D. DE DYCKVELT, &c. &c.

D. SUPERFICIARIO URBIS

AQUÆ VETERIS, &c. &c.

D. PRÆSIDI ORDINUM DIOC. TRAJECT.

ORDINIBUS GENERALIBUS

ASSESSORI, &c. &c.

TUM A MAGNÆ BRITTANNIÆ REGE

TUM AB UNITARUM PROVINCIARUM

LEGATIONIBUS CONSPICUO.

PERILLUSTRI

DOMINO

D. GUILIELMO A SCHUYLEMBORG,

TOPARCHÆ A DUCKENBORG, &c. &c.

SERENISSIMO MAGNÆ BRITTANNIÆ REGI

GUILIELMO TERTIO

A CONSILIIS, RATIONIBUS, SECRETIS

ET AB ACTIS,

SUPREMI CONSILII AGGERUM

DELPHENSIUM ASSESSORI &c. &c.

Disputationem hanc Inauguralem humiliter offert, dedicatque

LUDOVICUS FRANCISCUS VAN LANGEN.

Auth. & Resp.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
SUCCESSIONE ALLODIALI ET FEUDALI.

CAPUT PRIMUM.

Successio omissis Aliis Definitionibus generalioribus, est quæ fit per Hæreditatem in universum Jus quod Defunctus tempore mortis habuit; idque vel oblique per Codicillos, quos hic non tractamus, vel directo, sive ex Testamento sive ab Intestato, sive de Consuetudine, etiam ex Pacto. Successionem primo ex pacto, & testamento leviter (quia eam dilucide hic tractare Instituti nostri ratio non permittit) attingemus; deinde quid sit successio ab Intestato tam Feudalis quam Allodialis ordine videbimus.

THESIS PRIMA.



Jure Civili omnes Conventiones de viventis alicujus Hereditate sive de ea acquirenda, sive conservanda, sive omittenda, conceptæ improbantur. *l.* 15. *l.* 19. *Cod. de pact. l.* 3. *Cod. de Coll. l.* 5. *Cod. de pact. Conv. l.* 4. *Cod. de Inutilib. stip.* Idque non unam ob causam Potissima est ne turbetur ordo publicus, quo Hereditates non nisi Testamento, vel lege deferuntur, *d. l.* 15. *Cod. de pact. l. fin. ff. de suis & leg. Hered.* & ne ansa detur Captandæ mortis alienæ *l.* 61. *D. de v. ob. l.* 4. *Cod. de Inut. Stip. l.* 11. *Cod. de trans.*

II, Licet talis Conventio sit reciproca; cum reciprocatio non tollat rationes ob quas tales Conventiones de Jure Civili sunt prohibitæ. Zoes. ad *D. de pact. num.* 29.

 III. Vel

III. Vel etiam Jurata, Juramentum enim ſequitur naturam actus cui adjicitur.

IV. An vero de Jure Canonico talis conventio juramento confirmata valeat; non levis inter viros Doctos eſt controverſia. Negativam probant Borcholten tractatu de pactis *cap.* 5. *num.* 66. *& ſequent.* Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 125. Fachin. *lib.* 8. *Cont.* 22. *& ibi Alleg.* Affirmativam tenent Bart. *in cap.* 1. §. *moribus ſi de feudo.* Decius *Conſilio* 516. *num.* 5. *&* 656. *num.* 12. Vide & Vinnium *in tractatu de pactis cap.* 19. *num.* 2. 3. *&* 4. quorum ſententia mihi verior videtur: nam cum tale pactum non ſit contra bonos Mores naturales, alias hoc ipſum nullo contrario ſtatuto vel conſuetudine confirmari poſſet, ſed tantum Civiles; juramentum ei appoſitum, cum ſine diſpendio ſalutis ſervari poſſit, obligat, & ſervandum eſt. Cap. *cum contingat* 28. *X. de jurejurando.*

V. Moribus vero eo deventum eſt, ut varia pacta etiam non jurata, præſertim illa quæ tabulis Antenuptialibus ſunt inſerta, inter Conjuges ſuſtineantur. Sed nec ſoli Conjuges inter ſe de ſucceſſione quoad ipſos paciſci poſſunt, ſed Parentes quoque interdum de Succeſſione ſponſi & ſponſæ in caſum Exiſtentium vel non Exiſtentium liberorum diſponunt; quatenus nempe illi aut etiam liberi eorum tunc Parentibus, & in qua parte aut hi etiam liberis ipſis ſuccedere debeant. Strickius *DISS.* 8. *cap.* 5. *num.* 15.

VI. Jure Feudali quoque aliquando ante initum matrimonium, ſolet iniri pactum inter vaſallum mortua ipſius uxore Illuſtri & ex ea ſuperſtitibus liberis; & inter Fœminam plerumque ignobiliorem, ut illa pariter ac liberi ex Matrimonio cum illa contracto nati, accepto done nuptiali, vel certa bonorum portione a reliqua hereditate imo & dignitate paterna excludantur. Sic ut huic pacto regulariter inſeri ſoleat, quod liberi ex hoc matrimonio nati neque inſignibus Paternæ Familiæ utantur, neque cum filiis prioris matrimonii in feudis Dinaſtiis & Allodiis ſuccedant, neque eorum Mater in præjudicium Illuſtris familiæ, a Cæſarea Majeſtate ut in numerum Principum recipiantur impetrare poſſit: ſed cum aſſignata portione contenti ſimul cum Matre vivere debeant. Quod matrimonium ad Morganaticum contractum eſſe dici ſolet. *v. lib.* 2. *Feud. Tit.* 20. *vid. & examen J. F. Strickii cap.* 7. *quæſt.* 3. *&* 4. Ad quod matrimonium Feudiſtæ communiter quatuor requiſita concurrere debere tradunt, ex *lib.* 2. *Feud. tit.* 23. *Imo*: ut præceſſerit uxor illuſtris, 2. ut ex ea illuſtri uxore ſuperſint liberi, 3. ut etiam exiſtant liberi ex poſteriore Conjuge, 4. ut pactum adjectum ſit ante peractum

actum Matrimonium, ne liberi ex hoc matrimonio ſuccedant. Atque hinc plerique in Celebri, & in hac Patria Notiſſimo Caſu Comitiſſæ Benthemenſis magni nominis viri judicarunt, id matrimonium, quod cum ea iniverat Comes Benthemienſis non fuiſſe ad morganaticum Contractum. Plebeja quidem fuerat ſed ante matrimonium initum ab Imperatore Nobilitata, nec præceſſerit uxor Illuſtris ex qua liberi ſupererant; ſed primum hoc erat matrimonium, neque etiam ſiniſtra manu ducta erat, quod plerumque licet non ſemper in tali matrimonio fieri ſolet. Huc ſpectat totus Tract. Feldmanni *de Impari Matrimonio* vid. etiam Aitzem. Hiſt. *lib.* 48. *ad Ann.* 1668.

VII. Quæ pacta, licet Jure Civili non ſubſiſtant, cum nulla pactio de futura ſucceſſione nequidem per inſtrumenta dotalia eo Jure ſit licita. *l.* 15. 19. *C. de pact.* Tamen moribus multarum gentium recepta, ac approbata ſunt. *v. Groenw. ad d. l.* 15. *Cod. de pact.*

VIII. Præterea valet Pactum Confraternitatis inter Principes, & Familias Illuſtres, ſummo Imperio præditas; quodque initur a diverſis familiis Illuſtribus de Provinciis & bonis alterius familiæ extincta illa certa ſucceſſionis lege acquirendis, nec mirum eſt quod hoc pactum valeat cum tales perſonæ ll. Civilibus ſint ſolutæ. *v. Striekium Diſſ.* 8. *c.* 7. præterquam quod in Principibus & Illuſtribus perſonis omnis ſiniſtra præſumptio vel ſuſpicio captandæ mortis alienæ ceſſet, & quod finis harum confraternitatum ſit publica utilitas & tranquillitas. Faciunt enim ad familiarum ſplendorem ac incrementum, firmamque inter eos amicitiam ſtabiliendam, item ad ſubditorum utilitatem, ſc. ut in florenti ſtatu conſerventur nec ad ignotum & extraneum Dominum devolvantur. *v. Muſc. de Confrat. Theſ.* 10. *Carpz. diſſ. de confrat. Sax. Haſſ. cap.* 3. *Theſ.* 41. *& cap.* 6. *Theſ.* 60. Talia pacta inter Bavariæ Duces, ac Comites Palatinos Rheni, item inter Saxoniæ Duces & Haſſiæ Landgrafios, etiamnum cuſtodiuntur.

IX. Dixi inter Familias ſummo Imperio præditas; nam inter Nobiles & Familias illuſtres juriſdictione carentes pactum confraternitatis non valide celebratur, cum nullibi tale Privileginm ipſis conceſſum reperiatur, ſtandum itaque erit juri communi quod talia pacta rejicit, niſi recepta alicujus loci conſuetudine pactis ſucceſſio deferri liceat: nam ubicumque locorum hoc permiſſum eſt, ibi etiam privatis pactum confraternitatis indulgendum videtur. *Strick. DISS.* 8. *num.* 11.

X. Ut autem pactum confraternitatis plenum ſuum conſequatur Effectum, omnino requiri videtur approbatio & conſenſus Domini feudalis, non quidem ad pacti eſſentiam; ſed ratione bonorum feudalium, quæ vi

illius

illius in alienam Familiam transferuntur quod ſine conſeuſu Domini fieri non poteſt, cum nulla Vaſalli circa feuda diſpoſitio, aut ordinatio ſine Conſenſu Domini valeat. *lib.* 2. *Feud. Tit.* 52. *&* 55. *Strick. d. loco num.* 18.

CAPUT II.

De Succeſſione Teſtamentaria.

THESIS I.

Quamquam ſucceſſio Teſtamentaria longe recentior eſt quam legitima prius enim ſola legitima ſucceſſio in uſu eſſe cœpit, poſtea vero teſtamentaria denuo acceſſit, Solonque primus eam apud Athenienſes introduxit Vaſquius *lib.* 1. *de ſucceſſ. creat. num.* 13. Attamen ſucceſſio teſtamentaria multo fortior eſt ſucceſſione legitima, quia quamdiu ex illa ſperatur hæres, ex hac non admittitur. *l.* 89. *d. R. J.* Proviſio enim hominis facit ceſſare proviſionem legis, *l. ult. Cod. de Pact. Conv.* Et nihil hominibus tam debitum tamque pia conceſſio eſt, quam ut ratum ſit ſupremum jam jam efflantis arbitrium. *l.* 1. *Cod. de Saecoſ. Eccl.*

II. Ut vero ſuprema illa voluntas rata eſſe poſſit neceſſario requiritur ut fiat ſecundum ſolennitates Jure Civili requiſitas, adeo ut ſi una ex illis deficeret totum Teſtamentum corruere debeat. *l.* 12. *Cod. de Teſtamentis.* Ita ut ſi appareat aliquem voluiſſe ſolenniter in ſcriptis Teſtari, ne quidem ut nuncupativum ſit valiturum: Clarus §. *Teſtamentum quæſt.* 4. *num.* 2. ſecus ſi non conſtet de tali teſtantis animo, & intentione; Clarus *d. l.* Si talis ſc. deficiat ſolennitas quæ in Teſtamento nuncupativo neceſſaria non eſt, ut eſt ſubſcriptio teſtatoris & teſtium, & ſubſignatio, in qua ſubſcriptione bene notandum eſt. Quod teſtator in præſentia teſtium, ad hoc ſpecialiter rogatorum, & congregatorum, ſeſe ſubſcribat vel alium ſi ipſe ſcribere neſciat, octavum teſtem requirat, qui ejus nomine ſubſcribat: unde ſi V. G. Teſtator ante ſcripſiſſet Teſtamentum, & etiam ſubſcripſiſſet & poſtmodum ſubſcribendum teſtibus daret, Teſtamentum illud vacillaret, quia teſtator debet in præſentia teſtium ſubſcribere, ut in facto ſe cum aliis JCtis conſuluiſſe teſtatur Clariſſ. Dominus Wilt JCtus eximius, Profeſſor Freiburgenſis in dictatis ſuis. *ad Inſt. v.* §. 3. *Inſt. de teſt. ord. &* *l.* 21. *Cod. eod.*

III. Et

III. Et hoc in foro exteriori an vero tale teſtamentum, in quo quædam ſolennitates omiſſæ ſunt, in foro interiori, ſive conſcientiæ hæredem ab inteſtato, cui de voluntate Teſtatoris conſtat, non obligæt ad reſtituendam hæreditatem hæredi ſcripto, & ad legata præſtanda graviſſima & maxima a DD. ſolet moveri quæſtio. Obligare affirmant Vaſquius *de ſucceſſ. creat.* §. 1. *num.* 24. Fachineus *l.* 4. *cont. cap.* 5. Zoeſ. *ad ff. tit. qui teſt. facere poſſ. num.* 43. Vinnius *ad Inſt. de teſt. ordinand. pluresque Doct. ab eo citati.* Mihi tamen cum Covarruv. *in cap.* 10. *extra de Teſt. num.* 18. placet negativa, quia leges juſtæ etiam in conſcientia locum habent, & inde ſicut prodigi Teſtamentum, a legibus improbatum, in omni foro eſt nullum, ita id ipſum in caſu propoſito eſt aſſerendum; cum leges perſonas ſubditas ad aliter teſtandum inhabilitaverint, ut qui illud impugnet, in foro Conſcientiæ etiam ſit ſecurus. Hanc ſententiam quoque amplectitur Clarus. *lib.* 3. *ſent. quæſt.* 90.

IV. Quod autem diximus ſucceſſionem Teſtamentariam præferri ſucceſſioni legitimæ, hoc quidem verum eſt in Allodialibus, non vero in Feudalibus, feuda enim non recipiunt ullam ordinationem defuncti *lib.* 1. *Feud. tit.* 8. Ratio eſt quia feudum ad res alienas ſpectat, de quibus teſtari non poſſumus, in præjudicium Domini, quod ſane hic contingeret cum ipſi invito, alius obtruderetur Vaſallus, quod fieri non poſſe patet ex *lib.* 2. *feud. tit.* 8. præterquam quod & illis, ad quos feudum ex pacto & providentia devolvi debet, præjudicium fieret, quod & textus feudalis *lib.* 2. *tit.* 39. *in pr.* & ratio naturalis fieri vetat; cum nemini jus quæſitum ipſi invito auferri debeat. Sic etiam ſucceſſio Regnorum Electioni non ſubjacentium, aliarumque ditionum ſuperiorem nullum recognoſcentium, jure ſanguinis defertur, nequaquam Teſtamento: uti notanter tradit de Regno Hiſpaniæ Fredericus a Sande ad Conſuetudines Feudales Gelriæ, ex Ajala aliiſque auctoribus Hiſpanis, ~~& etiam ſatis confirmatum videtur Noviſſimo Caroli II. Regis Hiſpaniæ demortui Teſtamento~~.

V. Et hoc adeo procedit ut Vaſallus ne quidem pro anima judicare poſſit, vel ad alias pias cauſas diſponere. *lib.* 2. *feud. tit.* 9. §. 1. ubi judicare eſt legare, quatenus legatum eſt judicium defuncti, pro anima autem, hoc eſt ut anima liberetur ex purgatorio. *v. Roſenthal. cap.* 7. *Concl.* 2. *num.* 7. Quodque feudi legati vel alio modo per ultimam voluntatem relicti, ne æſtimatio quidem per hæredem Teſtatoris, in Allodialibus ſive is ad quem feudi ſucceſſio una pertinet, ſive alius fuerit, debeatur. Ratio eſt Primo, quia nulla ordinatio de feudo valet. *lib.* 1. *feud. tit.* 8. & omnis Teſtamenti factio prohibita eſt, *lib.* 2. *feud. tit.* 55. Diſpoſitio itaque

quæ

quæ contra ll. feudales fit eſt ipſo jure nulla, *l.* 5. *Cod. d. ll.* Secundo quia feudorum in ultimis voluntatibus liberum non eſt commercium, nec tertius ſine conſenſu Domini, feudum poſſidere poteſt; at quando legatarius non habet commercium rei legatæ, non debetur æſtimatio. *l.* 39. §. *fin. de leg.* 1. non obſtat quod feudum non abſolute ſit extra commercium ſed tunc demum ſi Dominus diſſenſerit; nam ratione legatarii, perinde eſt an res abſolute ſit extra commercium an iſto caſu, nec quidquam in contrarium movet, quod heres teneatur præſtare factum defuncti, reſponſio enim peti poteſt ex primo argumento, neque huc aliquid facit quod rei alienæ legatæ æſtimatio debeatur. §. 4. *inſt. de legat.* Nam hoc ideo eſt quia res aliena non eſt extra commercium vide Roſenthal. *d. loco num.* 10.

VI. Exinde fluit, quod filius etiamſi legitime exheredatus, non excludatur a Bonis Feudalibus; quod probatur primo ex textu Feud. *lib.* 1. *tit.* 8. *in pr.* ubi hæc junguntur, quod filii ſuccedant & quod nulla ordinatio Patris valeat. Secundo quia liberi in feudo proprie non ſuccedunt Patri, ſeu ex beneficio Patris, ſed primo acquirenti, qui pacto ſuo omnibus deſcendentibus proſpexit. *lib.* 2. *feud. tit.* 18. Tertio quia feuda deferuntur jure ſanguinis, quod jus per exhæredationem tolli non poteſt, huic ſententiæ non obſtat textus in *lib.* 2. *tit.* 45. ℞. textus objectus loquitur de Filio inſtituto hærede, iſte non poteſt retinere feudum, & repudiare hæreditatem Allodialem, vel vice verſa. Niſi ex conſenſu agnatorum de novo inveſtiatur. *d. lib.* 2. *tit.* 45. in quo convenit jus feudale cum Jure Civili Romano, quo liberi non poſſunt retenta ſola legitima, a reliqua hereditate abſtinere eamque repudiare. *l.* 1. 2. 75. & 80. *ff. de acquirend. hæred.*

VII. Quid ſi itaque filius inſtitutus a Patre, in Allodialibus, ſed excluſus a Feudalibus? ℞ iſto caſu conſultum eſt filio repudiare hæreditatem Patris Teſtamentariam; & eam adire ab inteſtato; quod licet regulariter fieri non poſſit. *l.* 1. *ff. ſi quis omiſſ. cauſa Teſt.* Ex cauſa tamen juſta fieri poteſt, *l.* 2. *Cod. eod.* qualis præcipua eſt ſi teſtator aliquem inſtituerit, ut inſtitutum a jure jam ipſi quæſito excluderet. Quale exemplum eſt notabile in *l.* 77. §. 31. *ff. de Legat.* 2.

VIII. Hæc tamen Regula quod Vaſallus de feudo teſtari non poſſit, fallit ſi Dominus, & ſi feudum ſit antiquum, etiam agnati conſenſerint. Adeo ut ſi tantum præſentibus, & tacentibus ipſis Teſtamentum factum ſit illud ſubſiſtat. vide Strickium in Exam. Juris Feudal. *cap.* 14. *quæſt.* 3.

IX. Mo-

IX. Moribus noſtris ſi quis de feudo teſtari velit, licentiam adhoc in Hollandia a Deputatis Ordinum, in hac Provincia a curia implorare debet. *Styl. Curiæ Art.* 32.

X. Quæ Licentia vulgo Octroy pleniſſimam quidem de feudis tribuit facultatem, non tamen feudi naturalia, ſive ejus naturam tollit, aut alterat. uti male contendit Pet. Bort *Tract. de feudis part.* 1. *num.* 23. Sed remanet poſt obtentam illam Licentiam ſeparata & exorbitans ab allodialibus feudi natura: non de jure tantum ſed & moribus, adeo ut etiam in univerſaliſſima bonorum diſpoſitione, feuda non comprehendantur; neque teſtandi diploma quidquam operetur niſi ab ipſomet teſtante ſit obtentum, vel de mandato vel ratihabitione ejus conſtet, prout per facultatem Juridicam Lugduno Batavam Præſidente Meſtertio 8. *Martii* 1658. & per Lovanienſem 25 *Auguſti* 1666. ſolenniter reſolutum fuit; & jam ante teſte prædicto Meſtertio a ſuprema Hollandiæ Curia 24 *Martii* 1646. judicatum, & iterum *ultima Julii* 1647. in cauſa Adrianæ van Willigen plurimum JCtorum arbitrio emologatum, & tandem *Anno* 1666. a Curia quæ Hagæ-Comitis reſidet Brabantiæ judicatum, & confirmatum in Illuſtri ac Celebri lite ſuper Dominio & Jurisdictione cum ap-& dependentiis Oploenſi, inter Ludolphum a Steenhuyſen Civitatis Graviæ, & Ditionis Cuykanæ Satrapam, Uniti Belgii Equitatus Lutenantium Generalem, ex una parte, & P. M. Parentem meum Guilielmum Henricum a Langen ex altera parte triumphantem.

XI. Cæterum moribus noſtris nullo modo requiritur conſenſus agnatorum, quia agnati apud nos nullum jus cenſentur habere niſi ultimus poſſeſſor mortuus ſit absque Teſtamento. vid. Bort *part.* 5. *num.* 19. Neque hodie tacita Domini voluntas ſufficit, ſed Vaſallus debet habere litteras patentes ſigillo Domini munitas. Bort *part.* 2. *num.* 3.

XII. Prædicta prohibitio non extendit ſe etiam ad fructus, quos Vaſallus ex re feudali percepit de his enim cum jure allodialium cenſeantur, & jure pleni Dominii Vaſalli ſint *arg* §. 37. *Inſt. de R. D.* Libere etiam de iis diſponere poteſt Schraderius *de feud. lib.* 2. *part.* 9. *ſect.* 3. *num.* 4. Bort *part.* 5. *tit.* 2. *cap.* 1. *num.* 33. Multi tamen contendunt fructus ex Principatu ſeu regali feudo non eſſe allodiales, ſed feudales quia illi fructus conſtituti ſunt ad defenſionem Principatus, atque hoc ipſum his annis Comes Palatinus urgebat contra Duciſſam de Orleans; quæ lis juxta Pacem Rijsvicenſem inter Imperatorem, & Regem Galliæ Art. 8. & etiam ſeparato Articulo arbitris eligendis decidenda relicta eſt.

CAPUT III.

De Successione ab Intestato.

THESIS I.

Visa huc usque breviter successione ex pacto, & Testamento, superest deinceps videre quomodo ea deferatur ab intestato.

II. Cæterum cum jura successionis ab intestato alia veteri, alia novo jure, sint observata; relicto jure antiquo (utpote quod à Justiniano tamquam varium ac perplexum per nov. 118. transformatum ac sublatum est) statim ad jus novum transeo.

III. Successio ergo ab Intestato *est successio legitima quæ deficiente Testamentaria* (sive jam nullum testamentum factum sit, sive factum quidem, sed ruptum irritumve factum fuerit, sive illud additione hæredis non fuerit confirmatum *p. inst. de hæred. quæ ab int.*) *defertur illis quibus natura & leges proximum jus succedendi dederunt. l. 7. pr. ff. Bon. lib. l. 7. §. 1. ff. unde lib. §. 6. inst. de pupill. subst. l. 2. ff. pro socio.*

IV. In hac successione præcipue duo sunt observanda, modus, & classes seu ordines succedendi.

V. Modus succedendi vel est in capita, vel in stirpes; in capita est quando hæreditas secundum personarum numerum dividitur, ita ut tot fiant portiones, quot sint personæ, hæc successio toties locum habet quoties succeditur jure proprio, & ex propria persona: in stirpes est quando hæreditas non secundum personarum numerum sed secundum stirpes, unde descendunt dividitur quæ successio fit per repræsentationem. Repræsentatio *est fictio juris qua remotiores succedentes in locum proximioris defuncti accipiunt tantam partem quantam proximior ille habuißet si vixisset. §. 6. & ult. Inst. de hæred. quæ ab intest. defer.*

VI. Extenditur hæc repræsentatio in linea descendenti in infinitum ita ut semper remotiores concurrant cum proximioribus. Vetuit enim Imperator in hoc Ordine gradum quæri *Nov.* 118. *cap.* 1. Nec aliud volunt §. 7. 16. *Inst. de hæred... quæ &c.* nec *l.* 17. *Cod. de Coll.* v. Virum Amplissimum D. Joann. van Someren, nunc Curiæ Ultrajectinæ meritissimum Præsidem & incomparabile Decus *in Tract. de Jure repres. cap.* 1. *num.* 3. In linea collaterali, cum inter Collaterales nulla sit derivatio sanguinis,

adeoque

adeoque hæc ſucceſſio magis Civilis quam naturalis, non habet locum ultra fratrum liberos, & hoc unico tantum in caſu, quem infra ſuo loco videbimus. In linea vero aſcendenti omnino ceſſat: repræſentatio enim non habet locum, niſi in eo, qui ab illo, quem repræſentat, ſanguinem trahit, jam autem abſurdum eſſet ut Pater, repræſentaret Filium, quippe ille non genitus ab hoc, ſed hic ab illo.

VII. In linea ergo collaterali præter dictum caſum & aſcendenti proximior ſemper excludit remotiorem adeoque ſemper in capita, non vero in ſtirpes ſucceditur.

VIII. Idque tam quoad bona Allodialia, quam Feudalia, in his enim jus repræſentationis eodem modo ſe habet, *lib.* 1. *feud. lit.* 8. Menſing. *cent.* 3. *obſerv.* 94. Strickius *Diſſ.* 1. *cap.* 3. *num.* 22. quamquam moribus multarum Regionum, repræſentatio in feudis non eſt recepta, uti imprimis de feudis Hollandicis, teſtatur Bort. *part.* 5. *art.* 3. De Trajectenſibus dictus D. van Someren *d. loco num.* 3. de Geldricis Fredericus a Sande *tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 11. & *ſequent.* de aliis Gudelin. *part.* 3. *cap.* 2, *num.* 14.

IX. Proximitas autem hic non computatur ſecundum Jus Can. ſed ſecundum Jus Civile, ita ut quot ſint generationes tot ſint gradus, & perſona generata ſemper adjiciat gradum *arg. text. feud. lib.* 2. *tit.* 37. Et hoc non tantum apud eos qui ſunt Reformatæ Religionis, ſed & apud omnes Romano Catholicos tam in ſucceſſione Allodiali, quam Feudali v. Bort cum Citatis *part.* 5. *tit.* 3. *cap.* 5. *art.* 4. Proximus vero in jure noſtro dicitur ille, quem nemo antecedit, ſicuti ille ſupremus eſt quem nemo ſequitur. *l.* 92. *ff. de v. ſ.* quæ proximitas conſideratur vel tempore mortis defuncti, cui ſucceditur; vel tempore teſtamenti deſtituti, *arg.* §. 7. *inſt. de hæred. quæ ab int.* id eſt, quo hæres adire hæreditatem detractat; tunc enim defunctus demum fit inteſtatus. *v. l.* 2. §. 5. *ff. de ſuis & legit. hæred.* & Vinnium *ad d.* §. 7.

X. Claſſes ſeu ordines ſuccedendi ad 5 reducere lubet, nempe deſcendentium, aſcendentium, collateralium, conjugum, fiſci. Priores 3 ordines ſunt Juris Civilis, & quidem recentioris, quorum mentionem facit *d. n.* 118. in Præfatione, quartus juris eſt prætorii, quintus jure ſuperioritatis competit.

XI. Has Claſſes ordine videbimus, ut primo quid Jure Civili, deinde quid Jure Feudali obtineat, proponamus.

CLASSIS PRIMA.

Primus & potiſſimus ordo ſuccedendi ab inteſtato eſt deſcendentium eorum ſc. qui a nobis progeniti dicuntur. Si defunctus itaque inteſtatus decedit, tunc ad ejuſdem ſucceſſionem, ante omnes aſcendentes, & collaterales, vocantur liberi ſeu deſcendentes *d. N. cap. 1. in pr.* Naturalis enim ratio quaſi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem adjecit ad debitam ſucceſſionem eos vocando. *l. 7. ff. de bonis damnat.*

At vero cum omnes liberi non ſunt unius generis ſed alii legitimi, alii illegitimi, alii legitimati, de his ordine videndum.


CAPUT I.

De ſucceſſione Legitimorum Allodiali.

Hi ſunt vel primi vel ulterioris gradus idque vel in gradu æquali vel inæquali, primi ut ſi filii & filiæ ſoli adſint. De quo ſit:

TABULA I.

De ſucceſſione Liberorum primi & æqualis gradus.



Quomodo mortuo Patre hæreditas inter hos liberos dividenda.

I. Plures liberi primi gradus ſuccedunt Patri æqualiter, ita ut tot fiant portiones, quot ſunt perſonæ. *Auth. in ſucceſſ. Cod. de ſuis & leg. lib.* Nihil enim naturalius eſt quam ut æqualiter liberi æqualiter quoque ſint hæredes; & ut jungat æqualis gratia quos junxit æqualiter natura; nec intereſt: Primo ſive liberi ſint ſui, ſive emancipati, licet enim jure anti-

quo

quo emancipati cum ſuis non ſuccederent, niſi quod prætor dederit illis bonorum poſſeſſionem. §. 9. *Inſt. de hæred. quæ ab int.* Jure tamen novo hac in parte omni differentia inter ſuos ac emancipatos ſublata, æque admittuntur quam ſui. *d. Nov. cap.* 1. *in fine Auth. in ſucceſſ. Cod. de ſuis & legit.* Zoeſ. *ad ff. h. tit.* Vinn. *ad inſt. ad d. N. num.* 1. ita ut mirum ſit quod ab hac ſententia receſſerit Cujac. *ad l.* 1. *ff. de Conjung. cum emancip. lib. & ad d. Nov.* 118.

II. Nec refert ſecundo an maſculi ſint, an fœminæ, quippe omnes ſuccedunt æqualiter ſine differentia ſexus *d. Nov. cap.* 1. *in pr. & §. ſeq. de auth. in ſucceſſ.* Cujus rei rationem dat Imp. in *l.* 4. *Cod. de lib. præt.* quod tales inducentes differentias, quaſi naturæ accuſatores exiſtant, cur non omnes maſculos generavit. Quod tamen fallit in iis locis ubi ex conſuetudine recepta viget jus primogenituræ, de quo plura adhuc infra videbimus.

III. Nec refert tertio ſintne liberi naturales, & legitimi ſimul an adoptivi, ſeu legitimi tantum; quamdiu enim ſunt in poteſtate adoptantis, tamdiu cum naturalibus ſimulque legitimis ad adoptantis vocantur ſucceſſionem quin imo etiam ſuis æquiparantur. §. 1, 2. & 14. *Inſt. de hæred. quæ ab int. §.* 2. *Inſt. d. adopt. l. cum in adopt. §. ſed ne Articulum Cod. eod.* Dixi quamdiu ſunt in adoptione ſi enim emancipentur, tunc quoad Patrem adoptivum extraneorum loco ſunt, & Patri ſuo naturali iterum ſuccedunt. *§.* 10. *inſt. de hæred. quæ ab inteſt. & l.* 15. §. 2. *Cod. de adopt.*

IV. Neque aliud dicendum eſt de illis qui adhuc in utero exiſtunt, & poſt mortem Patris demum naſcuntur; nam & hi perinde ſuccedunt ac ſi ante mortem Patris editi eſſent. §. 2. *verſu poſthumi quoque &* §. 8. *inſt. de hæred. quæ ab inteſt.* Ratio eſt quia poſthumus quoties de favore ipſius agitur pro jam nato habetur. *l.* 7. *ff. ſtatu hom.*

V. Quanta vero portio in ſucceſſione reſervanda ſit poſthumo vide in *l.* 3. *ſi pars hæred. pet. & in l.* 28. *§. fin. de ff. de jud.*

VI. Neque deterioris conditionis ſunt Clerici & Monachi religionem ſaltem in communi bonorum capacem ingreſſi, hi enim parentibus quoque ſuccedunt, *l.* 56. §. *hoc etiam verſu ſin vero Cod. de Epiſcop. & Cler.*

VII. Et quamvis religioſi ob votum paupertatis ex ſe incapaces ſint, bonorum tamen monaſterium, in quod ſunt ingreſſi, jus ſucceſſionis conſequitur. *Card. de Lugo de Juſt. & jure Diſput.* 3. *ſect.* 5.

VIII. Cæterum nihil refert utrum Pater an Mater ſit mortua licet enim Filii jure antiquo a ſucceſſione Matris excluderentur eo quod non in illius

illius potestate, adeoque nec sui hæredes; hodie tamen indifferenter admittuntur ad utriusque successionem; nec amplius illa patria potestas, sed cognatio & naturalis causa quæ æque militat in Matre quam in Patre attenditur. *l. 4. ff. ad SCtum Tertull.*

MEMBRUM I.

De Successione Feudali.

I. Observanda hic est generalis differentia, inter successionem legitimam Juris Civilis & successionem Juris Feudalis, sc. legitima successio Juris Civilis defertur ex lege & tacita voluntate ultimi defuncti, qui moriens cum aliam voluntatem non expresserit, tacite intelligitur bona sua proximis reliquisse *vid. Grot. de jure Belli & Pac. l. 2. cap. 7. §. 3. & comment. Viri Ampliss. D. vander Muelen.* Sed successionis Feudalis est specialis ratio quæ venit ex prima constitutione feudi, quod Dominus feudum alicui concedens, intelligitur etiam posteris illius qui ipsum representabunt prospexisse. *lib. 2. feud. tit.* 18. *& tit.* 23. *in fine.* itaque succedi videtur non tam ultimo possessori quam illi parenti qui feudum acquisivit. Gudel. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. In successione ergo feudali ut quis succedere possit requiritur ut a primo acquirente sanguinem trahat per lineam masculinam. *lib. 2. feud. tit.* 31. & ad servitia sit habilis: ita tamen ut non omnis qui a primo acquirente sanguinem ducit, statim succedat, sed etiam requitur, ut proximus sit ultimo possessori, adeo ut ille qui proximus est ultimo possessori, præferendus sit illi qui proximior esset primo acquirenti; quamvis enim præferendus videatur iste qui proximus est primo acquirenti quia in feudis principium & origo inspicitur, & successio suum respicit stipitem Bort *part.* 5. *Reg.* 5. *num.* 2. tamen prior sententia melius in jure fundata, uti apparet ex *lib. 2. feud. tit.* 50. *vid.* Bort *d.* loco, ubi hanc quæstionum prolixe tractat.

II. Præterea feudalis successionis basis & fundamentum est investitura; & sine hac nec ad agendum, nec ad defendendum, ullus admittitur nec sine ea ulla possessio feudi acquiritur, adeo ut quamvis quis 30. vel 40. annis rem aliquam feudalem possederit, id ei nec ad fructus perceptos, vel percipiendos, multo minus ad jus [præscriptionis firmandum prodesse queat, propter possessionem jure feudali improbatam. vid. Sande *tract.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *pag.* 54. *& ibi.* Frecciam atque ita judicatum referunt acta Culemburgensia processus [feudalis] de anno 1613. inter Guilielmum de

de Montfoort, Dominum de Nicop, Noorden & Vredensteyn P. M. Abavum meum & Theodoretum de Hoeck.

III. Originem & progressum successionis feudalis videre licet in *lib.* 1. *tit.* 1. *&* 8.

IV. Cæterum cum feudum aliud sit regale aliud non regale de hoc primo videbimus.

MEMBRUM II.

De successione Feudali non Regali.

I. Sicuti in Allodialibus plures liberi ejusdem gradus succedunt defuncto æqualiter *v. sup. Clas.* 1. *cap.* 1. ita quoque in feudis obtinet, hoc tantum discrimine quod in allodialibus secundum jus novissimum succedant tam masculi quam fœminæ, *Nov.* 118. *Cap.* 1. In feudis vero tantum succedunt masculi exclusis fœminis. *lib.* 2. *feud. tit.* 26. Ratio in fœminis est quia necessitas bellorum feuda peperit, bello autem gerendo minus idoneus est fœminarum sexus; præterquam quod non deceat mulieres interesse sedibus & consortiis virorum, quod vix salva verecundia & pudicitia sexus muliebris fieri posse videtur. *v. l.* 14. *Cod. de contrahenda & com· stip.* Omitto quod Vasallus teneatur se jurejurando obstringere, ad arcana Domini consilia celanda, & non divulganda, *l.* 2. *feud. tit.* 6. Sed mulieribus nihil est loquacius, nihil imprudentius, nihil levius, unde eleganter Propertius lib. 2. Eleg. ad Amicam;

Non sic incerto mutuantur flumine syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta noto
Quam cito fœmineâ non constat fædus in ira
Sive ea causa gravis sive ea causa levis.

II. Et quamvis interdum bellis assuefactæ ut Joanna Durcia Liberatrix obsidionis Aurelianensis licet quoque sæpe sapientes sint, & constantes, ac consilio minime fragili, rariorem tamen casum Dominus feudum concedens respexisse non præsumitur. *arg. l.* 3, 4, 5. *&* 6. *ff. de ll.*

III. Cæterum hac in parte conveniunt antiqua Lex Romanorum Voconia; de qua vid. Vinnium *ad* §. 1. *Inst.* ad *l.* Falcidiam, Gallorum lex salica, & jus feudale. His enim juribus mulieres a successione excluduntur, quæ jura alienissima sunt a ratione juris Justinianei. §. 5. *inst. de exhered. liber. l.* 4. *Cod. de lib. præt. & exh.* quod tamen accipiendum est

de bonis allodialibus; feuda enim tunc temporis nondum erant nota, ac recepta.

IV. Et hoc ita ſive ipſa fœmina velit ſuccedere ſive maſculi ex fœmina, cum quod fœmina non habuit in alios transferre non poſſet *l.* 54. *ff. de R. J.* Et infecta radice omne infectum quod ab ea deſcendit, id quod ſatis conſtat ex *l.* 2. *feud. tit.* 11. *verſ. adfilias.* Si tamen aliter in inveſtitura fuerit conventum, fœminæ ſuccedere poterunt. *lib.* 1. *feud. tit.* 8. §. *filia & tit.* 14. §. *ult.* Pacta enim in continenti adjecta dant legem contractui. *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* Cenſebiturque facta gratia, ut ea quæ verecundia mulieris prohibet, per ſubſtitutum perhibeant.

V. Veluti ſi cum eo tenore feudum datum ſit, ut accipientis liberi maſculi & fœminæ in id ſuccederent. quo tamen caſu maſculis extantibus fœminæ & earum deſcendentes non ſuccedunt. *lib.* 1. *feud. tit.* 8. *&* 6. Ita tamen ut ex veriori ſententia maſculis deficientibus fœminæ iterum admittantur. Nec enim fœmina per maſculum ſemel excluſa, manet excluſa uti vult Roſenthal *cap.* 7. *concl.* 44. *& Gail. lib.* 2. *obſerv.* 148. *num.* 1. Aliique nam contrarium ſatis nos docet textus in *lib.* 1. *tit.* 17. in verbis *non enim patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione donec maſculus supereſt ex eo qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus.* Ubi particula *donec* non perpetuo excludit ſed temporaliter, & reſpectu certarum perſonarum vid. Fred. a Sande *in tract. feud. tit.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 77. *& ſeqq.*

VI. Quod ſi fæmina feudum adepta eſſet eo tempore, quo nullus exſtabat maſculus, feudum illud fœmina ſaltem ad dies vitæ retinebit, quamvis maſculus poſtea naſcatur. Ratio eſt quia fœminæ per nativitatem maſculi non debet auferri jus ſemel quæſitum. Maxime cum in jure non ſit novum ut id quod ſemel & utiliter & rate eſt conſtitutum duret, licet ille caſus exſtiterit a quo negotium non potuiſſet initium capere. *l.* 85. §. 1. *ff. de R. J.*

VII. Si tamen maſculus in utero fuerit viduæ defuncti vaſalli, aliud dicendum videtur; nam in acquirendo commodo is qui in utero eſt pro jam nato habetur. *l.* 7. *l.* 26. *ff. de ſtatu hom.*

VIII. Porro ſicuti Jure Civili nulla ſuitatis. & emancipationis, diverſitas attenditur. *Nov.* 118. *cap.* 1. ſic etiam non in jure feudali ſed emancipati pariter cum ſuis, ad feudum admittuntur; nam cum jure feudali contrarium diſpoſitum non ſit, merito *d. Nov.* ſtandum eſt. *lib.* 2. *feud. tit.* 1. *in fin. pr.* Neque moveor quod per emancipationem filii deſinant eſſe agnati, & maneant cognati. §. *fin. inſt. de leg. agn. tut.* qui jure feudali

dali non admittuntur, *lib.2.feud.tit.* 11. quia illi cognati non admittuntur qui per fœminini ſexus perſonas conjuncti ſunt, non qui per maſculinam lineam deſcendunt.

IX. Liberi autem adoptivi in feuda non ſuccedunt *lib.* 2. *feud. tit.* 26. §. *adoptivi:* ratio eſt quia feuda dantur ſanguini, adoptio vero jus ſanguinis non adfert. *l.*23.*ff.de adopt.* Et in jure feudali veritas ipſa inſpicitur, non fictio Juris Civilis. v. Strick. *Diſſ.* 1. *cap.* 3. *num.*23.

X. Sicuti nec Clerici, licet enim de novo feudum acquirere poſſint. *lib.* 2.*feud.tit.*40.§.*fin.* in feudum tamen conſtitutum ſuccedere non poſſunt. *lib.*2.*tit.*30 §. 1.*Ex hoc* Ex quo textu patet quod Clericus etſi habitum religionis depoſuerit tamen in feudum non poſſit ſuccedere: quod intelligendum de feudo quod tum apertum eſt cum adhuc erat Clericus, aliud enim eſt, ſi Clericus iſte legitime Clericatu exutus ad ſeculum redierit, & poſtea aperiatur feudum. *arg.text.feud.in lib.* 2.*feud. tit.*106.

XI. Nec religioſi vel eorum nomine Monaſterium. *lib.* 2. *tit.* 30. exceptio tamen ſtatuenda videtur in novitio cujus ſucceſſio manet in ſuſpenſo, dum adhuc in novitiatu conſiſtit. Zoeſ. *de jure feud. cap.* 10. *num.* 8. Ne ſc. præjudicetur libertati probationis.

XII. Nec etiam filii ceu deſcendentes Vaſalli ſuccedunt, ſi Vaſallus ob feloniam feudo ſit privatus tunc enim illud ad agnatos devolvitur. vid. Strickium *exam. jur. feud. cap.* 23. *num.* 46. Quod ita etiam Juris eſt in Regnis ſive ea deferantur jure feudali, ſive non, ſucceſſio enim Regni eſt vel feudalis, vel ſaltem ei conſimilis; unde Rex aliquis ob in Patrias leges commiſſa regno privatus, non liberi ejus, ſed agnati ſuccedunt: ratio eſt in repræſentatione quæ locum habet in liberis, non in agnatis; hinc Jacobo II. Brittanniæ Regnis ſe deſtituente, juſtiſſime in regnis ei ſucceſſit Sereniſſimus Princeps Auriacus Guilielmus III, cum maxime magnæ Brittanniæ Rex, ex Caroli I. majori natu filia nepos, excluſis, & excludendis Jacobi Liberis, ni pacto vel benevolentia, vel ſpeciali placito populi aliter proviſum eſſe dicatur.

MEMBRUM III.

De Succeſſione Feudorum Regalium.

I. Hujus vocis ſignificatio in libris feudorum varia ac multiplex eſt, potiſſimum autem denotat feuda nobilia & regalia ſummi Principis auctoritate & beneficio conceſſa cum dignitate ragali & facultate ex-

ercendi jura ad Majeſtatem pertinentia. *lib.* 1. *feud. tit.* 14. *in pr. & lib.* 2. *tit.* 34. quæ ſignificatio eſt hujus loci.

II. Hæc feuda, qualia ſunt Ducatus, Marchiæ, Comitatus, contra naturam omnium feudorum diviſionem non recipiunt. Sed primogenito cedunt *lib.* 2. *f. tit.* 55. §. *præterea.* idque ne Illuſtrium Familiarum dignitas in plures diviſo feudo ob inopiam rei familiaris obſoleſcat *vid. Gail. l.* 2. *obſ.* 33. Cui accedit quod regale feudum annexam habeat poteſtatem. Omnis autem poteſtas impatiens conſortis erit.

III. Quod jus primogenituræ apud Longobardos, ſive jure feudali communi, eodem modo ut jure Civili Romano prorſus fuit incognitum. Imperator Fredericus, primus conſtituit ne hæc feuda dividantur. *d. lib.* 2. *feud. tit.* 55. §. *præterea Ducatus.* Ex quo apparet etiam majora iſta feuda prius dividua fuiſſe, ac omne feudum interna ſua natura dividi poſſe: vide Hottomannum *in Diſput. de feud. cap.* 28.

IV. Quæ Conſtitutio Imperatoris Frederici uſu fere omnium Populorum eſt recepta, atque in his ipſis Provinciis adeo invaluit, ut prima feudorum regula ſit, quod feuda Hollandica ſint individua, quod in iis filiorum maximus natu ſolus ſuccedat, ſive ſit nobile ſive ignobile regale vel non vide *Neoſt. de feud. Holl. ſucceſſ. cap.* 3. Bort *part.* 5. *reg.* 1. *num.* 1. & *ſequent. Math. par.* 8, *n.* 38. & *n.* 48. ubi quoqne addit id etiam obtinere in bonis allodialibus quæ annexam habent Jurisdictionem, Belgice **Heerlijke Goederen.**

V. Et quamquam generalis hæc conſuetudo ſecundum quam feuda ſunt individua, ſummam videatur continere iniquitatem, cum nihil æquitati magis contrarium ſit quam illos quos natura æqualiter junxit, inæqualiter tractari, & quod qui differentias inter liberos inducunt videantur bellum naturæ inferre, uti loquitur Imp. *in l.* 4. *Cod. de lib. præt. vel exhered.* tamen nihil vetat, hanc conſuetudinem ab omni iniquitatis labe ſolutam defendere; nam licet jus naturale omnibus liberis hæreditatem deferat, non tamen abſolute præcipit, ut æqualiter omnibus proſpiciatur, conſequenter non iniquum ſi aliqui de certa quadam re loco alimentationis, vel appenagii proviſi unus ſolus, & quidem primogenitus qui cæteros ætate & prudentia ſuperat ſuccedat. Unde licet æqualis ſucceſſio eſſet juris naturalis attamen quia & jus naturale præcipit regna conſervari, cauſa boni publici prius ob poſterius ſicuti in uſucapione legitime ceſſaret. *vid. Pet. Gud. in Comm. de jure feud. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Bort *part.* 5. *reg. prima num.* 5. & 6.

VI. Hoc jus primogenituræ non poſſunt parentes ulla ratione maximo natu


natu reddere deterius, nisi facultatem alienandi feudi habeant; adeo ut primogenitus non teneatur de feudo reliquis liberis præstare legitimam, atque ita in Curia Parisiensi esse judicatum refert Papon docens primogenito jus suum integrum tribui quamvis nulla alia supersint bona, *lib.* 21. *tit.* 5. *Arresto* 2. Æquitas tamen suadet ut si nulla alia bona allodialia supersint, unde cæteri liberi se sustentare possint primogenitus certam ipsis portionem pro dignitate familiæ assignet, quæ portio vel in numerata pecunia consistit vel in reditibus certorum prædiorum, & communiter Appenagium dici solet, quod ita dictum videtur a pane sumpto in Latina significatione pro omnibus alimentis aliisque ad vitam sustentandam necessariis. *v. l. 6. ff. de alim. leg.* vide Menag. *in orig. linguæ Gallicæ voce Appenage.*

VII. Ipse vero primogenitus juri suo renuntiare potest. *arg. l. pen. Cod. de Pact.* quo facto ipso jure jus primogenituræ ad fratrem proxime sequentem devolvit. Cum repudiatio rem eo reducat ac si nunquam acquisita vel delata fuisse videatur. *arg. l.* 1. §. *6. ff. si quid in fraudem pat.* quod etiam procedit primogenito mortuo vel deportato. Gudel. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 10.

VIII. Celebris hic moveri solet quæstio quis primogenitus censendus sit an ille qui ante vel qui post adeptum feudum sit natus. Magis illorum sententia mihi arridet, qui jus primogenituræ tribuunt, illi qui revera primogenitus est & per consequens qui ante adeptum feudum est natus. *arg. l.* 5. *ff. de senat.* Neque obstat quod eo tempore quo filius nascebatur Pater feudum non habuerit, nam acquisitio bonorum non mutat sortem nascentis, neque quo tempore bona acquisita sunt, sed tempore mortis inspicimus qui primogenitus sit *arg. l.* 52. *ff. de leg.* 2. Idem juris est in duobus Filiis Regis aut Principis quorum alter ante adeptum a Patre Regnum, alter autem postea natus est: nam etiam hic jure primogenituræ gaudet & in successione præferendus est, qui secundum naturæ ordinem primus est editus in lucem. vide Hottomannum *d. loco &* Grotium de Jure Belli & Pacis *lib.* 2. *cap.* 7. §. 28. *&* 29.

TABULA II.

De successione liberorum ulterioris & inæqualis gradus.



An & quomodo prædefuncto Filio Patre Nepotum sub num. 1. *duo hi nepotes concurrant cum Patris Fratre sive Patruo in successione avi ultimo defuncti.*

I. In linea descendenti, non attendi proximitatis gradus sed illos qui remotiores sunt jure repræsentationis locum defuncti parentis occupare supra ostendimus.


II. Posita ergo hac verissima Regula quilibet facile videt quid hoc in casu sit respondendum, nimirum hos nepotes a patruo non excludi, sed cum eo concurrere jure repræsentationis, in stirpes, ita ut non fiat divisio hæreditatis secundum numerum personarum succedentium, sed secundum stirpes unde descendunt, hæc autem cum tantum una fuerit etiam unam tantum mediam partem detrahunt, alteram patruo relinquunt. *Nov.* 118. *cap.* 1.

III. Et hoc non tantum obtinet in allodialibus, sed quoque in feudalibus, sc. dividuis seu non regalibus. *lib.* 1. *feud. tit.* 8. & *l.* 1. *t.* 14. §. 1. Nam in feudis regalibus aliter res se habet quippe in quibus si nepos primogeniti concurrat cum patruo suo feudum non dividitur in duas partes, sed totum Nepoti addicitur, adeoque hoc casu nepos natu maximus avo suo solus succedit excluso patruo & fratre suo; utpote qui non modo in locum, sed in jus Patris dicitur succedere, personamque ejus repræsentare, id est veluti præsentem & adhuc viventem sistere. Idem quoque juris est mortuo Rege vel Principe cujus nepos ex primo ejus filio demortuo in successione præfertur Regis Filio natu minori. vid. Grot. de Jure Belli & Pacis *lib.* 2. *cap.* 7. §. 30. & Hottomannum *quæst. Illustr. quæst.* 3.

TA-

TABULA III.

De successione liberorum ulterioris & æqualis gradus.



Quomodo præmortuis Filiis sub num. 1 *&* 2 *avo ultimo defuncto succedant plures, Nepotes unus ex uno filio tres ex altero.*

I. Plures Nepotes soli ex diversis filiis non succedunt in capita, sed in stirpes, facta divisione secundum personas unde descendunt, ita ut in proposito casu hæreditas non in quatuor partes, sed in duas dividi debeat, quarum unam habebit nepos ex uno Filio, & alteram tres nepotes ex altero Filio. §. 6, 16. *inst. de hæred. quæ ab intest. deferunt. l.* 2. *Cod. de suis & legit. hæred. nov.* 118. *cap.* 1. Quamvis enim hic remotior non excludatur per proximiorem, quippe omnes in æquali gradu, adeoque non tam jure repræsentationis quam jure proprio succedere deberent, tamen postquam semel placuit nepotes in locum sui patris defuncti succedere, non debuit hoc jus ex accidenti aliquo variari. Vinn. *ad* §. 6. *inst. de hæred. quæ ab intest. def.* Et hæc est communis fere omnium Doctorum sententia Strickius *Diss.* 1. *cap.* 2. *num.* 35. D. Joann. van Someren *de repræsent. cap.* 1. *num.* 7. ubi hoc quoque moribus ubique fere receptum esse testatur. Neque aliud obtinet in feudis cum eo jure repræsentatio eodem modo se habeat ac Jure Civili *v. supra cap.* 3. Adhibita tamen supradicta distinctione inter feuda regalia, & non regalia, nam cum in illis primogenitus semper succedat, ipsiusque Filius jure repræsentationis excludat patruum, sive secundo genitum, multo magis excludet filium ex secundo genito, nam si vinco vincentem te multo magis vinco te.

CAPUT II.

De Successione Illegitimorum.

I. Liberi illegitimi vel ſunt naturales qui ex concubina nati ſunt, vel ſpurii hoc eſt vulgo quæſiti, ſive incerto Patre geniti, vel ex damnato coitu nati, inter hos priores Patri ſuo exiſtentibus liberis legitimis ab inteſtato penitus non ſuccedunt. Alendi tamen ſunt a Filiis legitimis; ſecundum ſubſtantiæ menſuram a bono viro arbitratam. *nov.* 89. *cap.* 12. §. 6. quamquam hoc caſu a Patre in unam unciam ſive duodecimam, partem hæreditatis inter ipſos & illorum Matrem dividendam inſtitui poſſint. *d. Nov.* 89. *cap.* 12. §. 2. *nov.* 18. *cap.* 5.

II. Deficientibus liberis legitimis ſi adſint ſoli aſcendentes, cum ſolis naturalibus, hi cum illis ſaltem ab inteſtato ſuccedunt in duas uncias. Quia per hoc nullum præjudicium fit illorum legitimæ. Molin. *de Juſt. & jure tract.* 2. *diſp.* 116. *num.* 6. Ex Teſtamento vero excepta dicta portione legitima tota ſubſtantia relinqui poteſt naturalibus. *Auth. licet cod. de nat. lib.* Covarr. *de Mat. part.* 2. *cap.* 8. §. 4. *num.* 20.

III. Deficientibus & liberis legitimis, & aſcendentibus, ſi adſit ſola legitima uxor, licet hæc regulariter marito Jure Civili non ſuccedat: tamen liberos naturales a ſucceſſione paterna ab inteſtato excludit, idque in favorem, & honorem matrimonii, & ne ob filios ex illicito coitu natos offendatur uxor Sneidw. *d. loco num.* 9. quo tamen caſu Pater liberis naturalibus tantum relinquere poteſt quantum ipſe velit. *l.* 2. *cod. de nat. lib.* Juncta *auth. nunc ſoli.* ſalva tamen portione uxori vel ſecundum conſuetudinem loci vel diſpoſitionem *auth. præterea Cod. unde vir ex uxor. debita Sneidw. de ſucceſſ. lib. nat. tantum num.* 7.

IV. Si omnes prædicti deficiant, & adſint ſoli naturales tum ab inteſtato quidem Patri in ſextante ſive duabus unciis ſuccedunt, una cum Matre, adhuc vivente non attento numero liberorum, ex teſtamento vero tota hæreditas ipſis relinquii poteſt. *nov.* 89. *cap.* 12. §. 3. & 4. *auth. licet. Cod. de nat. lib.*

V. Atque hæc ita ſi Pater tantum unam concubinam loco uxoris domi retentam habuerit, ſi enim pluribus concubinis ſe ſimul immiſcuerit, in deteſtationem effuſæ concupiſcentiæ, naturales a ſucceſſione excluduntur. *d. Nov.* 89. *d. cap.* §. 5. *d. Nov.* 18. *cap.* 5. licet & hoc caſu alimenta ut

ut liberis naturalibus præstentur æquitas suadeat. Strickius *DISS.* 1. *cap.* 2. *num.* 46.

VI. Dicta de naturalibus procedunt in successione paterna, respectu enim matris naturales indistincte succedunt sive Mater legitimos liberos habeat sive non, adeo ut æqualiter cum legitimis concurrant. §. 3. *inst. ad SCtum Orph. l. pen. Cod. eod.* Et non tantum Matri sed & omnibus ejus ascendentibus succedunt. *l.* 8. *ff. unde cogn.* Non solum ab inteſtato, sed etiam ex Testamento, adeo ut si Mater vel avus maternus eos non instituerit hæredes, vel sine justa causa exhæredaverit, iis competat quærela inofficiosi Testamenti; quæ respectu Patris nullo in casu ipsis competit, quippe qui non cogitur sed tantum cui permittitur instituere. Covar. *part.* 2. *cap.* 8. §. 4. *num.* 24.

VII. Spurii sive vulgo quæsiti Patri nullo modo succedunt cum Pater eorum sit incertus. §. 4. *inst. de success. cogn.* Matri vero succedunt eodem modo uti naturales; hac tamen differentia quod naturales quoque succedant Matri Illustri; spurii non item nisi deficiant liberi legitimi *l.* 5. *Cod. ad SCtum. Orph.* tum quod in Matre Illustri nominari spurios satis sit injuriosum, satisque acerbum *d. l.* 5. tum ne liberi justi cum spuriis concurrentes macula quadam aspergantur. Strickius *Differt.* 1. *cap.* 2. *num.* 54.

VIII. Moribus nostris naturales & spurii eodem jure censentur, cum concubinatus non tantum sit illicitus, sed & justa pœna coërceatur. *arg. Nov. Leon.* 9. adeoque tam naturales quam spurii non Patri sed tantum Matri etiam Illustri una cum liberis legitimis succedunt, juxta illud vulgare quod Mater non faciat Bastardos. Leeuwen *Cens. for. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. & 8. Vinn. *ad tit. Inst. de SCto Orph. in* §. 3. Ita tamen ut Patri, si demonstrari possit, incumbat alendi necessitas tamquam parentis utriusque commune debitum. Leeuw. *d. loco.*

IX. Liberi incestuosi ac ex damnato coitu nati nihil in odium detestabilis coitus neque per Testamentum, neque ab intestato, a Patre vel a Matre accipere possunt.

X. Hi enim nec naturalium nomine digni nec a parentibus alendi sunt *Nov.* 89. *cap.* 15. *Auth. ex complexu Cod. de incest. nupt.*

XI. Jure feudali naturales a feudi successione arcentur *lib.* 2. *feud. tit.* 28. §. *naturales.* Et per consequens multo magis spurii, incestuosi ac ex damnato coitu nati. Ratio est quia honeste in Curia Domini comparere nequeunt, est enim Domino paribusque Curiæ parum honorificum, in suo consortio sive sodalitio, esse homines natalibus suis maculatos, at-

que adeo quasi infames. Sic ut nec ad feudum fœmineum aspirare possint, jus feudale enim in genere semper legitimam nativitatem requirit. Strickius. *Diss.* 1. *cap.* 3. *num.* 26.

CAPUT III.

De Successione Legitimatorum.

THESIS I.

Legitimati sunt qui cum ab initio naturales tantum innt postea legitimi fiunt, legitimatio enim est actus quo naturales liberi fiunt legitimi idque præcipue duobus modis accidit, per subsequens matrimonium, & per rescriptum Principis; fuit olim & tertius modus sc. per oblationem curiæ, sed cum hic apud nos omnino exoleverit, vid. Gud. *de jure noviss. lib.* 1. *cap.* 16. Sicco pede eum prætereo.

II. Per subsequens matrimonium de Jure Civili tantum liberi ex concubina (modo libera sit & matrimonium cum ea legibus non sit interdictum) *Nov.* 117. *cap.* 6. nati legitimationis capaces sunt §. *fin. Inst. de nupt. l.* 5. *l.* 10. *Cod. de nat. lib.*

III. De Jure Canonico autem omnes qui nati sunt ex ea muliere cum qua potuit esse matrimonium? etiamsi proles concepta sit ex publica & vaga meretrice Zoes. *ad ff. tit. de concub. num.* 6. & 13. Strickius *DISS.* 1. *cap.* 2. 63.

IV. Hic tam oritur quæstio utrum satis sit quod tempore nativitatis coitus potuerit esse licitus, an vero præcise exigatur conceptionis tempore conjugium potuisse contrahi inter parentes. Prius probat Covarruvias *d. Matrim. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 2. *arg.* textus *in pr. Inst. de ingen.* posterius defendit Zoesius ad jus *can. tit. qui Filii sint legit.* per *l.* 11. *ff. de statu hominum & arg. cap. tanta d. t.* in verbis *si autem vir vivente uxore aliam cognoverit & ex ea prolem susceperit licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Quæ sententia mihi verior videtur, nam licet subsequens matrimonium cohonestet copulam fornicariam, non tamen adulterinam, nihil in contrarium movet. *d. text. pr. inst. de ingenuis*, quia loquitur de qualitate libertatis, nam variabilis cum sit Matris status recte illud inspicitur, quod partui utilius, aliud in hac legiti-

legitimatione eo quod huic obſtet delictum præcedens odioſum, & deteſtabile, ex damnato coitu, quod ſemel perfectum variationem non recipit, ne quidem per pœnitentiam. *l.*65.*ff. de furt.* Zoeſ. *d. loco.*

V. Nihil vero refert utrum tempore nativitatis fuerit impedimentum ſc. per matrimonium utriusque cum altero, ſic ut ſi tantum ſolo tempore conceptionis potuerit eſſe matrimonium ſufficiat. Zoeſ. *cit. loco num.* 19.

VI. Quo tempore matrimonium ſubſequens contrahitur nihil refert; adeo ut ſi in ipſo mortis articulo hoc fiat, legitimatio tamen ſubſiſtat. Strickius *diſſ.* 1.*cap.* 2.*num.*62. Zoeſ. *d. loco num.* 14. *Gail. lib.* 2.*obſerv.* 141. Roſenthal. *de feud. cap.* 7.*concl.* 18.*num.* 3.

VII. Sicuti quoque nec hoc refert utrum Dotalia inſtrumenta acceſſerunt an non *arg. l.* 31.*ff. de R. J. l.* 4.*ff. de fide inſtrum. l.* 0. *Cod. de Nupt.*

VIII. Quod tamen ex veriori ſententia fallit in nuptiis virorum Illuſtrium, cum concubina vilioris conditionis, hoc enim in caſu ad perfectionem matrimonii & ad effectum legitimationis requiruntur inſtrumenta nuptialia *v. Nov.* 117.*cap.*4. *&* 6.

IX. Altera legitimationis ſpecies eſt per reſcriptum Principis, quæ tunc locum habet, vel quando concubina ſit mortua, vel alteri nupta, vel quod matrimonium minus conveniat dignitati viri, *Nov.* 74. *cap.* 1. *Nov.* 89.*cap.* 9.

X. Ad effectum hujus legitimationis requiritur. Imo, ut non adſint alii liberi legitimi, princeps enim non debet minuere jus ſucceſſionis quod jam liberis legitimis quæſitum eſt *d. Nov.* 89.*cap.* 9.*l.* 17.§. 3.*ff. de adopt. l.* 4.*Cod. de emancip. l.* 7. *Cod. de præcib. imp. offerend.*

XI. Quin vero Princeps ex plenitudine poteſtatis naturales etiam aliis legitimis exſtantibus per reſcriptum legitimare poſſit non eſt dubitandum cum & ll. ſit ſolutus *l.*31.*ff. de ll.* & ex cauſa alicui jus ſuum auferre poſſit *Zoeſ. ad ff. tit. de concub. num.* 19.

XII. Secundo requiritur ut liberi ſi legitimatio ad petitionem Patris fiat, vel ab initio, vel poſtea, per ratihabitionem conſentiant. Legitimatio enim eſt beneficium vel privilegium liberorum naturalium, quod invitis non obtruditur. *l.* 69.*ff. de R. J.* Præterea quia liberi naturales per legitimationem rediguntur in Patriam poteſtatem, adeoque ex hominibus ſui juris fiunt filiifamilias. Iniquum autem eſſet liberis naturalibus invitis auferre qualitatem & privilegium Patris familias. *v. & Zoeſ. cit. loco num.* 18.

XIII. Legitimati per subsequens matrimonium in omnibus legitime natis æquiparantur, tam quoad honores & dignitates quam quoad successionem saltem in Allodialibus per *l.* 10. *Cod. de nat. lib.* §. *fin. inst. de nupt.*

XIV. An vero & in Feudalibus non caret controversia; plerique hoc affirmant, moti hac ratione, quod subsequens matrimonium omnia vitia præcedentia purget, & omnem maculam abstergat, ut taliter legitimati per omnia comparentur legitimis, retro trahendo matrimonium subsequens, ad tempus antecedens nativitatis, ita ut paria sint ab initio esse tale & ad tale postea reduci. *Nov.* 74. *cap.* 1. Contraria tamen sententia satis aperte probatur per textum in *lib.* 2. *feud. tit.* 26. §. *Naturales.* ubi omnes legitimati indistincte excluduntur, ergo & legitimati per subsequens matrimonium. Nec obstat supra dicta ratio tum quia omnis ratio silet ubi textus est apertus; tum quia fictio illa juris retrahendo matrimonium ad tempus nativitatis in jure Feudali non obtinet. *Vultejus de feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 195.

XV. Mores & praxis ubique fere sequuntur jus civile, adeoque nullam inter legitime natos & legitimatos per subsequens matrimonium admittunt differentiam, tam in Feudis quam in Allodialibus Bort. *part.* 5. *reg.* 7. *num.* 3. Cum quibus & concordat *jus canonicum cap.* 6. x. *qui filii sint legitimi. vid. Covarr. de matr. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 23. & *seq.*

XVI. Hic jam nobilis a DD. moveri solet quæstio, an legitimatus, per subsequens matrimonium, succedat in feudo in quo ex recepta consuetudine solus primogenitus succedit. An vero secundo natus ex legitima uxore ante secundum conjugium, adeoque ante legitimationem naturalis; secundo natum in hac specie præferendum esse verius est, quia legitimatio non debet trahi retro in præjudicium alterius. Nec auferre jus alteri quæsitum Rosenthal *de feud. cap.* 7. *concl.* 18. *num.* 9. Zoes. *de jure feud. cap.* 11. *num.* 8, 9. & 10. Gail. *lib.* 2. *observ.* 141. *num.* 1. Bort *part.* 5. *reg.* 7. *num.* 10. Diss. Covarr. *part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 34. & 35.

XVII. Legitimati per rescriptum Principis licet etiam per omnia comparentur legitimis, deterioris tamen conditionis sunt, quam priores unde cum liberis legitime natis non succedunt, sed ab his excluduntur, *Nov.* 89. *cap.* 11. §. 1. Nisi liberi legitime nati post legitimationem demum supervenerint, tunc enim ipsis per legitimationem jus successionis quæsitum, per subsequentem nativitatem legitimarum prolium non est auferendum Strick. *diss.* 1. *cap.* 2. *num.* 72. *Gail. lib.* 2. *observ.* 142. *num.* 5.

XVIII. Vel nisi ipsi in legitimationem consenserint.

XIX. Vel nisi a Principe legitimatio sit facta cum clausula *non obstante* quod Principem ex plenitudine potestatis facere posse jam supra dictum est *v. Gail. lib. 2. observ. 142. num. 11. & 8.* adeo ut etiamsi per talem legitimationem legitima liberorum legitimorum minueretur. Num legitimam qua sc. legitima non qua alimenta necessaria continet, non tantum a Principe minui, sed etiam tolli posse non pauci contendunt. Et quamquam me non lateat hanc valde difficilem, & disputabilem esse quæstionem, tamen pro affirmantibus in arenam descendere non vereor. vid. Zoes. *ad tit. de inoff. test. num. 109. & sequentib.* Gail. *lib. 2. cap. 22.* Covarruv. *de mat. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 5.* Strickius *Diss. 1. cap. 1. num. 9. usque ad num. 14.*

XX. Jure Feudali legitimati per rescriptum Principis non succedunt, cum omnes legitimati a feudi successione arceantur, *l. 2. feud. tit. 26. §. naturales.* Nisi Princeps ad petitionem patris naturalem filium ita legitimaverit, ut in feudo quoque succedere possit, quod Principem (si feudum sit novum & simul sit Dominus feudi) facere posse non est dubitandum, cum sibi tantummodo præjudicet, si vero feudum sit antiquum verior est eorum sententia qui negant Principem sine consensu agnatorum filium illegitimum ita legitimare posse, ut in tali feudo succedat, quia agnati hic succedunt ex pacto primi acquirentis. Jam vero jus ex contractu quæsitum ab altero auferri non potest, ne quidem a Principe, quia Princeps non est solutus jure naturali adeoque nec alios solvere potest jure naturali. *v. l. 3. Cod. de resc. vend. & l. 16. Cod. de transact.* Fidem autem pacto datam servare est juris naturalis *l. 84. §. 1. ff. de R. J. & l. 2 ff. de pact.* v. Strickium *diss. 1. cap. 3. num.* 30. Diss. Bort *part. 5. reg. 7. num.* 18. *pluresque alii.*

CLASSIS II.

De successione Ascendentium.

Hunc ordinem sive classem subeunt parentes ii sc. a quibus vitam sanguinemque trahimus, sub quorum appellatione continentur omnes ex linea ascendenti provenientes, *arg. l. 4. §. 2. ff. de in jus vocand.* Horum tot sunt species quot liberorum, cum Correlativorum eadem sit ratio atque natura. Everhard. *in Topicis loco 20. num. 3. & sequenti.* Non

tamen eadem ratione liberorum hæreditas defertur parentibus, ſicuti parentum liberis, ſi quidem non debeant filii opes quærere parentibus ſed potius parentes filiis *ad Corinth.* 12. *verſu* 14. *cap.* 6. X. *de cenſibus.* Unde ordine mortalitatis turbato *l.* 15. *ff. de inoff. teſt.* ratione pietatis & commiſerationis parentes ad ſucceſſionem vocantur, *l.* 7. §. 1. *ff. ſi tab. teſt. nullæ exſtabunt.* Et hoc non aliter niſi deficientibus omnibus defuncti deſcendentibus. Hinc licet pater defuncti & ejuſdem filius ſint in æquali gradu, tamen filius illi præfertur, toties enim proximitas gradus eſt attendenda, quoties perſonæ ſucceſſuræ ſunt ejuſdem lineæ, ſi vero diverſæ lineæ, linearum prior, poſt graduum habenda ratio Strick *diſſert.* 2. *cap.* 1. *num.* 4.

CAPUT PRIMUM.

De ſucceſſione parentum legitimorum.

Parentes ſive aſcendentes ſecundum diſtinctionem Imperatoris vel ſoli ſunt, vel cum iis exiſtunt fratres, & ſorores utrimque juncti, quando ſoli parentes exiſtunt vel in pari gradu ſunt, vel in diſpari. In pari gradu vel ulterioris gradus ſunt vel primi de quo

TABULA PRIMA.

De ſucceſſione parentum primi gradus.

PATER——MATER
|✝
FILIUS

Quomodo hic Pater & Mater ſuperſtites ſuccedant filio ſine liberis defuncto.

I. Primi gradus ſunt Pater & Mater qui ambo ad hæreditatem filii vel filiæ æqualiter vocantur, ſive emancipati, illi ſint, ſive in poteſtate conſtituti, non tantum in caſtrenſi peculio, vel quaſi caſtrenſi, ſed etiam in omnibus aliis bonis nulla habita ratione bonorum profectitiorum,

rum, seu adventitiorum, per *cap.2.d.Nov.*118. *& auth. defuncto Cod. ad SCtum Tertullianum.* In peculium tamen profectitium proprie dictum sc. cujus & proprietas & usufructus patris manserit Mater non succedit, sed tantum Pater & hoc non jure successionis sed ut suum repetit, nam cum vivo filio pleno jure pertineat ad patrem multo magis pertinebit post mortem.

II. Hic jam summopere a DD. controvertitur an non diversitas bonorum sit attendenda, sc. quando filio vivo, quædam donata sunt a matre, avunculo, aut matertera, quædam a patre patruo, aut amita, quo casu ad patrem pertinere aliqui volunt res quæ ab ipso vel aliis ex linea paterna sive agnatis ad filium pervenerunt, materna autem vel materni generis bona ad matrem revocari; ea vero demum quæ aliunde, quam ab agnatis aut cognatis defuncti obvenerunt ex æquis portionibus dividi inter Patrem & Matrem. Hanc sententiam defendit Bartholus in Consilio 18.*num.*4.*& Consilio* 216.*num.*4. Bartholum deinceps secuti sunt plurimi magnæ auctoritatis & nominis viri, ut si auctoritatibus certandum sit, ejus sententia superior aut certe par sit futura, quod & fatentur illi qui eam improbant. Mensing. *cent.6.obs.*55. *num.*4. *Cov. de success. ab int. num.*3.

III. Verum enimvero hæc ipsa frequentissima Bartoli aliorumque sententia directe contrariatur constitutioni Imp. *in d. Nov.* 118. *cap.* 2. ubi Justinianus non tantum hujus distinctionis bonorum faciendæ mentionem omnino nullam facit, sed etiam verbis utitur talibus, quæ eam aversentur & elidant. *Si*, inquit, *plurimi ascendentium vivunt, hos præponi jubemus qui proximi gradu reperiuntur, masculos & fœminas sive paterni sive materni sint. Si autem eundem habeant gradum ex æquo inter eos hæreditas dividatur, ut medietatem quidam accipiant omnes a Patre ascendentes, quanticumque fuerint, medietatem vero reliquam a matre ascendentes quantoscumque eos inveniri contigerit.* Quo loco non modo nullam distinctionem bonorum præcipi videmus quod tamen alias sine vitio omitti non potuisset a legislatore sed etiam verbis hæreditatis ex æquo dividendæ & semissis ad hos semissis ad illos transferendi, intelligimus totum defuncti patrimonium sive bonorum universitatem, (hæc enim hæreditatis verbo significatur. *l.*24.*ff. de V.S. l.*62.*ff. de R.J.* nec ex diversitate originis sive ob diversam acquisitionis originem distinctæ diversæque hæreditates existunt. *l.*10.§.2.*ff. de vulg. & Pupill. subst.*) ex æquo inter parentes dividendam esse, non divideretur autem hæreditas ex æquo, si prius bonorum distinctio facienda & paterna paternis, materna maternis (quæ

sæpe

ſæpe ſumme imparia ſunt) deferenda eſſent, ac tum demum in reliquo quod non hæreditas, ſed Hæreditatis pars eſt diviſio ex æquo facienda foret vid. Menſing. *d. loco.* Vaſquium *de ſucceſſ. reſolut. tom.* 3. *lib.* 2. §. 13. *num.* 11. Vinn. *in ſelect. quæſt. cap.* 31.

T A B U L A II.

De ſucceſſione aſcendentium ulterioris & æqualis gradus ſed diverſæ lineæ.

AVUS-AVIA		✠1 AVUS-AVIA
✠3 PATER	——————	✠2 MATER
	✠4 FILIUS	

Quomodo hic præmortua avia ſub num. 1. *Matre ſub num.* 2. *Patre ſub num.* 3. *ultimo defuncto filio ſive nepoti ſub num.* 4. *ſuccedant avus & avia ex linea paterna eſt avus ex linea materna.*

Deficientibus parentibus primi gradus admittuntur ulterioris gradus, qui ſi ejusdem lineæ & gradus ſint æqualiter ſuccedunt in capita; ſi vero ſint diverſæ lineæ, ſed æqualis gradus, bona dividuntur in lineas, ita ut unum ſemiſſem accipiant paterni generis aſcendentes, reliquum vero ſemiſſem aſcendentes materni generis, quanticumque in alterutra linea fuerint, ſic ut hic ſolus avus ex linea materna tantum capiat quantum avus & avia ex linea paterna conjunctim *Nov.* 118. *cap.* 2. verſu *ſi autem.*

TABULA III.

De successione Parentum inæqualis gradus.

AVUS——AVIA
✠ 1
PATER——MATER
✠ 2
FILIUS

Quomodo hic mortuo Patre sub num. 1. *ultimo defuncto filio sub num.* 2. *superstes Mater & Avus aviaque ex linea paterna succedant.*

Quando parentes existunt in dispari gradu tunc proximior in gradu semper excludit remotiorem *d. cap.* 2. *v. si plurimi.* sic ut Mater quæ ratione filii est in primo gradu excludat avum & aviam qui sunt in secundo, hi enim non possunt intrare in locum Patris tamquam sui filii per jus repræsentationis, cum illud in hoc ordine propter absurdum & impossibile non admittatur. *vid. sup. cap.* 3.

TABULA IV.

De successione ascendentium primi gradus cum defuncti Fratre germano germanique filio.

PATER————MATER
✠ 2 ✠ 1
FRATER GERM——FILIUS——FRATER GERM.
FILIUS——FILIUS

Quomodo in successione filii ultimo defuncti sub num. 2. concurrant Pater & Mater, defuncti frater germanus, & fratris germani defuncti sub num. 1. Filii.


I. Si una cum parentibus concurrant Fratres aut sorores utrimque defuncto conjuncti, successio fit æqualiter in capita, adeoque tot fiunt hæreditatis partes, quot sunt personæ succedentes. *d. cap.* 2. *vers. si vero* sive personæ concurrentes sint masculi, sive fœminæ, sive emancipati sive sui, ita quidem ut etsi frater succedens sit in potestate ascendentis, attamen quoad suam partem velut in peculio adventitio, Patri non acquiratur ususfructus *d. cap.* 2. Ratio est quia satis prospectum est, patri quod (cum jure antiquo in totum a Fratre defuncti excluderetur, *l. fin. comm. de success.*) jam simul cum eo in proprietate succedat: adeoque non nimium gravandi sunt Fratres.

II. Neque tantum Fratres & sorores, sed etiam Fratrum & sororum Germanorum liberi, (exclusis tamen nepotibus ad quos in linea collaterali jus repræsentationis non extenditur) cum ascendentibus patruo vel avunculo suo in stirpes succedunt, idque ex prædicto jure repræsentationis, tantum detrahentes quantum detraxisset eorum Pater vel Mater si vixisset *N.* 127. *cap.* 1. sive jam præter fratrum filios etiam fratres supersint, sive fratrum filii soli cum ascendentibus concurrant; cum Imperator in *d. Nov.* 127. se non fundet in concursu fratrum sed in jure repræsentationis fratrum filiis specialiter ibi concesso ut locum Patris occuparent. Strickius *Diss.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. D. Joan. van Someren *de Repræsent. cap.* 2. *num.* 4. Sande *lib.* 4. *tit.* 8. *definit.* 5. *Diss. Zoes. ad ff. lib.* 38. *tit.* 16. *num.* 29. *Aliique.* His præmissis facile apparet quid in proposito casu sit respondendum, nimirum fratrem simul cum Patre & in capita, liberos vero fratris defuncti in stirpes, ad successionem mortui fratris admittendos esse. Sic ut hæreditas dividatur in 4 partes, quarum unam accipiet Pater, alteram Mater, tertiam Frater, quartam duo ex Fratre filii.

TABULA V.

De successione ascendentium ulterioris gradus diversi numeri & lineæ & collateralium primi & ulterioris gradus simul.

AVUS



Quomodo hic præmortua avia sub num. 1. Patre sub num. 2. Matre sub num. 3. Fratre sub num. 4. & filio ultimo defuncto de cujus hæreditate quæritur sub num. 5. succedant avus & avia ex linea paterna & solus avus ex linea Materna & ultimi defuncti frater & Fratrum Filii.

Non tantum cum solo Patre & Matre, Fratres, Fratrumque Filii admittuntur, sed ascendentes in infinitum cum defuncti fratribus in capita, in stirpes vero cum eorum Filiis succedunt; non quidem propter proximitatem gradus, sed propter prærogativam juris, qua indistincte omnes ascendentes admittuntur cum fratribus fratrumque filiis. *d. Nov.* 118. *cap.* 2. *&* *d. Nov.* 127. *cap.* 1. Male hac in parte dissentit Zoes. qui Fratres & Fratrum filios tantum cum Patre Matreque, non cum ulterioribus ascendentibus admitti contendit; sic ut defuncti frater excluderet avum proavum & reliquos ascendentes, proavus vero reliquique ascendentes excluderent fratrum filios, sed hæc sententia omnino refragatur *d. N. N.* in quibus fratres & fratrum filii cum ascendentibus vocantur. Jam autem injustum foret ascendentium appellationem in *d. N. N.* ad solos parentes primi gradus restringere. Cui minime obstat quod & in ipsa novella 118. *cap.* 2. ascendentium illorum qui proximi gradu sunt, mentio fiat, nam hoc in avo & proavo & cæteris ascendentibus verum est si nemo antecedat. *l.* 92. *ff. de V. S.* Sneidw. *de secundo ord. succed. num.* 26. *& seqq.* Quid jam in proposito casu sit respondendum videamus; dictum est in Tabula secunda hæreditatem in duas lineas dividendam esse, si adsint ascendentes utriusque lineæ sc. Paternæ & Maternæ, adeo ut hic solus avus ex linea materna tantum accepturus esset, quam avus & avia ex linea paterna, cum vero hic non solum adsint ascendentes

 sed

ſed etiam fratres fratrumque filii talis diviſio hæreditatis commode fieri non poteſt, adeoque hic concurſus fratrum id operetur ut in capita ſuccedant omnes, aſcendentes & frater, filii vero fratris in ſtirpes per repræſentationem; ſic ut in effectu hæreditas dividatur in quinque partes, quarum unam habebit avus alteram avia, ex linea paterna, tertiam avus ex linea materna, quartam frater, quintam duo ex fratre filii. Atque ita ex perſona alterius, interdum id quiſpiam conſequitur quod ex perſona propria non habet. Strickius *dißert.* 2. *cap.* 1. *num.* 28.

TABULA VI.

De Succeſſione Aſcendentium cum Collateralibus unius vinculi.

AVUS

✠ 1

PATER

✠ 2

FRATER CONSANG——FILIUS

Quomodo præmortuo Patre ſub num. 1. *ſuccedant avus & frater conſanguineus filio ſub num.* 2.

I. Quod dictum eſt fratres fratrumque filii, ad ſucceſſionem fratris defuncti cum aſcendentibus concurrere, verum eſt, ſi ſint Germani Germanorumque Filii, non vero ſi ex uno latere tantum conjuncti ſunt, hi enim ab aſcendentibus omnino excluduntur, Sneidw. de ſecundo ordine ſuccedendi *num.* 30. *&* 31. quod quidem ex *nov.* 118. *cap.* 2. extra omne dubium eſt, ſi & Avus Paternus & Maternus ſimul concurrant, quia ab altero aſcendente ſemper alter frater excluditur, uterinus quidem ab avo Paterno, conſanguineus vero ab avo Materno; videtur tamen ſi avus Paternus ſolus adſit, conſanguineus propterea ab eo non excludi, quia avus Paternus nihil habet quod fratri conſangineo ab eodem patre quo defunctus eſt: nato objiciat, maxime quod defunctus alterius vinculi non faciat fratrem remotiorem, quam ſi utroque vinculo ſungeretur: atque hanc æquitatis rationem ſequitur jus conſuetudi-

tudinarium Hollandiæ introductum *Polit. ord. ann.* 1599. *art.* 3. ſecundum quam hic conſanguineus ab avo Paterno non excluditur. De jure civili autem nihilominus hoc dubio non obſtante, propter defectum duplicitatis in propoſito caſu conſanguineus ab avo Paterno excluditur, vid. Sneidw. *d. loco Fach. lib.* 6. *cap.* 8. & hæc eſt communis Doct. *ſent.*

II. Huc uſque de ſucceſſione aſcendentium juris civilis, jure feudali aſcendentes non admittuntur cum ſucceſſionis feudi talis ſit natura quod aſcendentes non ſuccedant *l.* 2. *feud. tit.* 50. Ratio eſt quod is qui feudum accepit ſibi & liberis ſuis, non autem parentibus, cenſeatur velle proſpicere & accipiens illis benefacere. Strickius *diſſert.* 2. *cap.* 2. §. 1. præterquam quod feuda concedantur ob ſervitia militaria, ad quæ præſtanda liberi indies magis idonei parentes vero minus idonei redduntur, & proinde in conceſſione non cenſentur comprehenſi, idque etiam moribus obſervari verum eſt per ea quæ habet Bort *part.* 5. *t.* 3. *c.* 3. *num.* 1.

III. Cæterum nulla eſt regula tam conſtanter tradita, quæ ſuas non patiatur exceptiones: Non enim patri deneganda filii ſine liberis defuncti ſucceſſio in feudo ſi ipſe in gratiam ejus prius id refutaverit, vel ſi ipſi in inveſtitura ſpecialiter ſit proſpectum, vel ſi feudum mere ſit hæreditarium has & alias exceptiones vide apud Strickium *d. loco num.* 2. *& ſeq.* Illud vero controvertitur an eo caſu ubi pater ad ſucceſſionem feudi admittitur fratres cum eo concurrant? Ludwel in Synopſi ſua feud. pag. 207. putat hic eſſe recurrendum ad jus civile quo pater cum fratre defuncti admittitur *nov.* 118. *cap.* 1. *& auth. defuncto Cod. ad SCtum Tertull.* Rectius Strickius *cit. loco num.* 7. diſtinguit an feudum ſit hæreditarium vel non ut illo caſu fratres admittantur, non vero hoc.

CAPUT II.

De ſucceſſione parentum illegitimorum.

THESIS I.

In horum ſucceſſione non eſt diu laborandum, quia ſucceſſio parentum naturalium & illegitimorum eodem modo ſe habet ut de ſucceſſione talium liberorum dictum eſt. *vid. nov.* 89. *cap.* 13.

II. Hinc uti liberi naturales exiſtentibus liberis legitimis, vel legitima uxore a ſucceſſione patris arcentur, ſic quoque pater a ſucceſſione liberorum naturalium liberos legitimos, vel legitimam uxorem relinquentium.

Hinc uti liberi naturales non existentibus aliis liberis legitimis vel legitima uxore succedunt in sextantem, sic eodem quoque modo pater iis in sextantem succedit: Hinc uti liberi naturales & spurii, semper succedunt matri & maternis ascendentibus, sic quoque mater & maternæ lineæ ascendentes iis semper succedunt.

III. Et sicuti spurii patri quia est incertus vel saltem sine dedecore demonstrari non potest, non succedunt, sic quoque pater ipsis non succedit.

IV. Et sicuti se onus alendi habet respectu parentum circa liberos, sic quoque respectu liberorum se habet circa parentes. *v.d.n.* 89. *cap.* 13.

V. Quid de parentibus incestuosis sit dicendum ex dictis jam satis apparet. Illud adhuc superest ut inquiramus quid juris sit, si cum ascendentibus Patre & Matre concurrant collaterales, sc. fratres naturales eorumque filii in successione filii naturalis: Certum est patrem hoc casu non plus capere posse quam sextantem cum ultra illam nunquam admittatur; quæritur autem quomodo illa reliqua hæreditas sit dividenda inter matrem & reliquos defuncti fratres? Strickius *dißert.* 2. *cap.* 1. *num.* 46. putat fratres hic non esse admittendos, sed solam matrem hereditatem debere consequi eo quod per *nov.* 118. *cap.* 2. tantum fratres Germani cum ascendentibus ad fratris defuncti hæreditatem aspirare possint, fratres vero naturales tantum matrem sequuntur, & sic habentur pro uterinis, & uno vinculo junctis. Eo tamen non obstante verius est fratres hos naturales cum matre in capita concurrere, ad successionem fratris naturalis defuncti, nam licet horum pater quoad effectum civilem velut illegitimus non agnoscitur, interim tamen eum agnoscit natura, secundum quam duplicitas illa vinculi in relatione fratris naturalis, ad fratrem naturalem negari nequit, adeoque neque deneganda successio, quippe quæ non tam ex vinculo civili quam naturali necessitudine ex jure sanguinis defertur, unde licet frater naturalis habeatur pro uterino, est tamen in re ipsa Germanus.

CLASSIS III.

De successione collateralium.

I. Non exstantibus descendentibus & ascendentibus admittuntur collaterales ita dicti quod alter ab altero sanguinem non trahat, sed quod

quod e latere ſibi invicem opponantur & tandem in uno ſtipite concurrant. Strickius *diſſert.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. Non quidem uti multi volunt uſque ad 10 gradum tantum, ſed infinitum; patet enim hoc primo ex ipſa *nov.* 118. *cap.* 3. §. 1. ubi Imperator deficientibus fratribus eorumque filiis omnes a latere cognatos ad ſucceſſionem vocat nulla diſtinctione adhibita an infra vel ultra 10 gradum ſint, ſecundo manifeſte id apparet ex §. 3. *inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* ubi Juſtinianus tradit jure agnationis hæreditatem capi ultro citroque etiamſi longiſſimo gradu ſint *v.* & §. *ult. inſt. de ſerv. cogn.* & *l.* 2. §. *ult. ff. de ſuis & legit. hæred.*

II. Et hoc tam reſpectu bonorum allodialium quam feudalium *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 4. *lib.* 2. *tit.* 31. Licet enim jure feudali proprie & accurate loquendo nulla collateralium ſucceſſio eſt, ſi quidem frater fratri (qui feudum acquiſivit & ſine hærede maſculo deceſſerit) non ſuccedat, ſed feudum ad Dominum revertatur. *l.* 1. *feud. tit.* 14. §. *fin. lib.* 2. *feud. tit.* 11.

III. Etiamſi idem feudum una eademque inveſtitura ſimul acquiſiverint *lib.* 1. *feud. tit.* 8. & *l.* 2. *tit.* 12. §. *fin.* Nam ſimultanea inveſtitura jus ſuccedendi per ſe non tribuit. Cum quivis cenſeatur pro medietate feudum acquiſiviſſe, conſequenter facta diviſione unus in alterius medietate nihil juris retinet. Roſenthal *de feud: cap.* 7. *concluſ.* 58. *num.* 4.

IV. In feudo tamen antiquo collaterales a primo acquirente ſanguinem trahentes ſuccedunt. Quamquam & hoc caſu potius ſuccedant primo acquirenti tamquam deſcendentes, quam ultimo defuncto tamquam collaterales. *vide Hottom. de feud. diſp. cap.* 19.

V. Inter collaterales primarium locum obtinent fratres & ſorores qui vel duplici vinculo juncti ſunt, & vocantur Germani, quique ex eodem Patre & Matre geniti ſunt; vel uno vinculo, qui ſi habuerunt eundem patrem, ſed diverſam matrem, vocantur conſanguinei, ſi vero eandem matrem, ſed diverſum patrem, dicuntur uterini.

VI. Sicuti autem parentes & liberi vel ſunt legitimi, vel illegitimi, ſic quoque eodem modo ſe habent fratres ſororeſque.

CAPUT PRIMUM.

De ſucceſſione fratrum ſororumque legitimorum duplicis, & unius vinculi.

TABU-

TABULA PRIMA.

✠

CONSANGUINEUS-GERMANUS. GERMANUS-GERMANA.

Quomodo hic consanguineus. Germanus Germanaque fratri Germano defuncto cruce signato succedant.

I. Fratres & sorores utrimque conjuncti sive sint legitimi & naturales simul, sive legitimati per subsequens matrimonium exclusis non tantum omnibus aliis collateralibus, sed etiam fratribus & sororibus ex uno tantum latere conjunctis defuncto fratri vel sorori in omnibus bonis tam Paternis quam Maternis vel aliunde quæsitis æqualiter sive in capita succedunt tot portionibus constutis quot fratres sororesve fuerint, quod ipsum & gradus & conjunctionis æqualitas exigit. Ratio vero cur primo loco vocentur, adfertur ab ipso Imperatore *in nov.* 118. *cap.* 3. quia hi vocantur cum ascendentibus si adsint ergo merito iis deficientibus vocabuntur primo loco, sic ut in hoc casu frater & soror excluso consanguineo in allodialibus soli succedant.

II. Dixi in allodialibus nam in feudalibus frater utrimque conjunctus non excludit fratrem consanguineum, sed bene uterinum. Quare hic consanguineus exclusa sorore germana (fœmina enim feudi incapax est) simul cum Germano in feudo succedit, Gail. *lib.* 2. *observ.* 151. Rosenth. *de feud. cap.* 7. *conclus.* 57. In feudis enim sola agnatio spectatur, & an quis a primo acquirente sanguinem trahat, hoc vero æque in consanguineo ac in Germano obtinet. Strick. *Differt.* 5. *cap.* 2. *num.* 8.

III. Quod si vero feudum sit fœmineum a communi Matre quæsitum, cum hoc casu Germanus & uterinus æqualiter a prima acquirente sanguinem trahant, nihil est quod uterinum a talis feudi successione arcere potest, sic ut frater uterinus in tali casu non tantum cnm Germano concurrat, sed & si solus sit consanguineum excludat, quia tunc solum vinculum paternum est impertinens adeoque tantum consideratur vinculum sanguinis materni. Rosenthal *cit. loco num.* 4. Strickius *d. loco num.* 7. *vide* Bort *part.* 8. *axiom.* 3. *per totum.*

IV. Id autem bene notandum est, quod ubicumque de fratris in feudi successione loquar id de feudo antiquo intelligi velim, cum in feudo novo a fratre acquisito collaterales non admittantur *vid. in pr. hujus Claß.* nisi

nisi speciali pacto in investitura ipsis sit prospectum. *lib.* 1. *feud. tit.* 1. *vers. sin autem & tit.* 8. *in fine & tit.* 20. *l.* 2. *feud. tit.* 12. *in pr. lib.* 2. *feud. tit.* 18. *lib.* 1. *feud. tit.* 14. §. 2. *lib.* 4. *tit.* 90.

TABULA II.

De successione Fratris Germ. cum defuncti Germani Fratris Filiis.

✠ 2 ✠ 1

FRATER GERM:-FRATER GERM:-FRATER GERM.

|

FILIUS-FIL.

An & quomodo præmortuo duorum Filiorum Patre sub num.* 1. *Patruo sub uum.* 2. *prædicti filii cum altero Patruo in successione concurrant.

I. Cum fratribus sororibusque Germanis simul admittuntur fratrum sororumque prius defunctorum filii, vel filiæ, *Nov.* 118. *cap.* 3. *& auth. cessante. Cod. de legit. hæred.* Idque ex jure repræsentationis tantum ex hæreditate detrahentes quantum detraxisset Pater si vixisset, surrogatum enim merito induit naturam ejus in cujus locum surrogatum est; quod singulare Privilegium in linea collaterali solis fratrum vel sororum filiis concessum est, in aliis enim collateralibus sola proximitas spectatur, & proximior semper excludit remotiorem.

II. Inter Jus Civile & Feudale hac in parte nulla est differentia uti videre est *ex lib.* 2. *feud. tit.* 11. §. *his vero.* Neque admittimus quorundam inter feudum simpliciter hæreditarium, vel mixtum, & inter feudum proprium sive ex pacto & providentia distinctionem quasi vero fratrum filii cum thiis suis concurrerent in feudo simpliciter hæreditario vel mixto, non vero in feudo ex pacto & providentia; textus enim feudalis generaliter loquitur. Neque obstat quod in feudo ex pacto & providentia non succedatur jure hæreditario, sed ex proximitate & jure sanguinis, & per consequens frater tamquam proximior, fratris filium excludere debeat; nam hoc quidem locum habet in cæteris agnatis remotioribus, in quibus cessat jus repræsentationis, non autem in fratrum filiis, qui non succe-

dunt ex sua persona, sed Patris cujus locum repræsentant Strickius *Dissert.* 3. *cap.* 2. *num.* 4.

TABULA III.

De successione consanguinei cum filio fratris Germani.

✠2 ✠1
CONSANGUINEUS-GERM:-GERM:
|
FILIUS

Quomodo præmortuo Fratre Germano sub num. 1. *succedat consanguineus cum prædicti Germani Filio Fratri Germano ultimo defuncto sub num.* 2.

Licet hic frater consanguineus sit gradu proximior quippe in secundo, fratris vero Germani filius in tertio, tamen ille per hunc excluditur idque per jus repræsentationis, transeundo in locum sui Patris: sicuti ergo ille si vixisset propter duplex vinculum exclusisset consanguineum, ita quoque ipsius filius qui jam propter fictionem juris ejusdem cujus Pater est gradus, idemque jus habere censetur *d. cap.* 3. *d. auth. ceßante Cod. de legit. hæred.* Et hoc ita in allodialibus; in feudalibus vero cum frater consanguineus ne ab ipso quidem Fratre Germano excludatur multo minus excludetur ab ejus Filio.

TABULA IV.

De Successione Filii ex Fratre & Patrui defuncti Filii de cujus hæreditate quæritur.

✠2
FRATER——PATER
|✠3 ✠1
FILIUS——FRATER
|
FILIUS


Quando

Quando premortuo fratre sub num. 1. Patre sub num. 2. Filius sub num. 3. reliquit post se fratris filium & patruum quomodo succedant?

Etsi patruus & fratrum filii sint in eodem nimirum tertio gradu tamen filius ex fratre excludit defuncti patruum idque per jus repræsentationis per quod intrat in locum sui patris; sicuti ergo pater exclusisset si vixisset, sic etiam ille cum eodem jure cum patre censeatur, quamquam Strickius *Dissert.* 3. *cap.* 1. *num.* 13. putet hic recurrendum esse ad naturalem illam rationem qua hæreditas magis descendentibus quam ascendentibus debetur adeoque filios fratris non tam præferri jure repræsentationis, quam quod illis qui defuncto liberorum loco fuerunt, magis hæreditas debeatur quam patruis, qui ascendentium nomine veniunt, & sic eos non in stirpes si plures fratrum filii diversi numeri fuerint sed in capita succedere debere existimat.

TABULA V.

De successione nepotis ex fratre & patrui defuncti filii de cujus hæredite quæritur.



An & quomodo hic præmortuo filio patre nepotis sub num. 1. & fratre avo nepotis sub num. 2. Patre proavo nepotis sub num. 3. Filio, nepotis patruo magno, sub num. 4. succedant ipsius patruus & ex fratre nepos.

Post fratrum filios tantum proximitatis gradus attenditur, quippe nulla repræsentatio ultra illos admittitur, Imperator enim solis fratrum so-

rorumque filiis hoc privilegium largitus est. D. Joan. van Someren *de re-præsent. cap.* 3. *num.* 5. Sic ut in hoc casu patruus defuncti excludat defuncti, ex fratre nepotem, cum patruus uno gradu nepote sit proximior; & hoc Jure Civili est extra omnem controversiam, de jure vero feudali cum non tantum proximitatis, sed & lineæ habeatur ratio, ex veriori sententia nepos hic ex fratre excludit patruum, non ob jus repræsentationis nam illud jure feudali eodem modo uti Jure Civili ultra fratrum sororumque liberos primi gradus non extenditur, sed quia hic nepos ex eadem qua defunctus linea descendit, patruus autem diversæ lineæ est, nam ubi feudum semel ad aliquam lineam devenit per divisionem aut assignationem, omnes ejus lineæ præferuntur in infinitum Zoes. *de feud. cap.* 10. *num.* 48. Sic ut patruus non possit succedere nisi omnes qui sunt in eadem qua defunctus linea deficiant; & hoc ita si feudum a majoribus provenerit, nam si in hoc casu Pater defuncti primus acquisisset feudum, patruus nunquam succederet, cum in feudis fratris successio proprie dicta non agnoscatur.

TABULA VI.

✠

CONSANG.--FRATER---UTERINUS

Quomodo hic consanguineus & uterinus fratri cruce signato succedant.

I. Deficientibus fratribus Germanis eorumque liberis primi gradus proxime ad successionem vocantur fratres uno latere juncti sive concurrant uterini tantum sive uterini & consanguinei simul, & si soli sint succedunt in capita, si vero uno prædefuncto existent ipsius liberi primi gradus successio fit in stirpes, & generaliter quidquid de successione fratrum & sororum germanorum ejusque liberorum primi gradus dictum est, id etiam in terminis habilibus ad fratres consanguineos, & uterinos eorumque liberos primi gradus est extendendum. Dixi sive concurrant uterini tantum sive consanguinei tantum sive consanguinei & uterini simul scilicet in Allodialibus. In feudalibus enim uterini succedere non possunt, cum in feudis sola agnatio consideretur & vinculum maternum semper sit impertinens. vid. supra Tabulam primam hujus Classis.

II. Eadem jam hic se offert quæstio quam supra de successione ascendentium

dentium habuimus an ſc. hic quoque diſtinctio bonorum ſit facienda ut fratri paterno hoc eſt conſanguineo bona a patre, vel a linea paterna profecta deferantur. Materno vero fratri hoc eſt uterino bona materna vel materni generis præcipua ſunt. Nos (etiamſi plerique Doctores hoc velint & inter hos quoque ipſe Cujacius *ad nov.* 84. *& conſult.* 23. *& in paratit. Cod. de legit. hæred.*) uti in ſucceſſione aſcendentium ita etiam in ſucceſſione collateralium negamus; ullam bonorum diſtinctionem faciendam eſſe; licet enim liberi ex diverſis matrimoniis ut conſanguinei ex uno Patre Patri quidem æqualiter matribus vero ſeparatim ſuccedant Richter I *de ſucceſſ. ab inteſt.ſect.* 1. *memb.* 1. *num.* 17. 24. *& ſeq.* ſibi invicem tamen ſemper ſuccedunt æqualiter & hanc ſententiam amplectitur Fachin. *lib.* 6. *cap.* 5. *Vinn. in ſelect. quæſt. lib.* 2. *quæſt.* 3. *D. Joann. van Someren de repræſent. cap.* 4. *num.* 8.

TABULA VII.

De ſucceſſione conſanguinei cum nepote ex Germano.

✠ 3 ✠ 2
CONSANGUINEUS---GERM.---GERMANUS
|✠ 1
FILIUS
|
NEPOS

Quomodo præmortuo filio patre nepotis ſub num. 1. *& fratre Germano avo nepotis ſub num.* 2. *Avi fratri ſive patruo magno ultimo defuncto ſub num.* 3. *ſuccedat ejusdem conſanguineus & Nepos ex Germano.*


I. Quamquam filiis fratris Germani ob jus repræſentationis excludat conſanguineum non tamen Nepos fratris Germ. ſed hic excluditur a conſanguineo, ratio eſt quia poſt fratres fratrumque filios in linea collaterali non amplius jus repræſentationis aut duplicitas vinculi attenditur, cum proximior ſemper excludat remotiorem; ſed conſanguineus ultimo defuncto in IIdo, Nepos vero ex fratre in quarto, ergo hunc

hunc proculdubio velut remotiorem excludit Sneedw. *de tertio ord. ſucced. num.* 31. *&* 34. *D. Joann. van Someren cap.* 4. *num.* 10.

II. Idem quoque ex eadem regula dicendum de filio conſanguinei, nam hic velut proximior in tertio gradu excludit nepotes velut remotiores in quarto gradu Richters *de ſucceſſ. ab inteſt. ſect.* 3. *memb.* 4. *num.* 13.

TABULA VIII.

De ſucceſſione filii ex fratre uno latere tantum juncto & patrui duplici vinculo juncti filii defuncti de cujus hæreditate quæritur.



Quando præmortuo conſanguineo ſub num. 1. *Patre ſub num.* 2. *filius ſub num.* 3. *reliquit poſt ſe conſanguinei Filium & Patruum duplici vinculo junctum quomodo ſuccedant.*


I. Hæc tabula fere coincidit cum Tabula quarta ea differentia tantum excepta, & hic pro ratione dubitandi poſita, quod hic agatur de filio fratris uno latere juncti concurrente cum patruo utrimque conjuncto, priori autem caſu egimus de filio fratris Germani concurrente cum patruo utroque quoque vinculo juncto, diximus tunc quod fratris filius excluderet patruum, non quidem ex prærogativa gradus utpote cum ipſo in eodem ſc. tertio gradu exiſtens, ſed propter jus repræſentationis, quod cum ad fratrum & ſororum etiam uno tantum latere conjunctorum liberos primi gradus extendatur ſecundum Gomeſium *ad leg. Tauri* 8. *num.* 10. *in fin.* Forſterum alioſque (diſſentit tamen Zoeſ. *ad tit. ff. de ſuis & legit. hæred. num.* 38.) idem quoque hic dicendum eſt. Nec obſtat quod patruus defuncti ex utroque latere ipſi fuerit conjunctus, nam duplicitas vinculi uti in

præce-

præcedenti Tabula diximus in ipsius defuncti fratribus aut sororibus, item in eorum liberis primi gradus non ultra attenditur.

TABULA IX.

Quomodo plures fratrum filii soli diversi numeri succedant defuncto patruo.



Quomodo præmortuis duobus fratribus sub num. 1. & 2. *Quorum unus tres alter unum filium reliquit succedatur fratri ultimo defuncto sub num.* 3. *a prædictis fratrum filiis.*

I. Accedo nunc ad difficilem & in utramque partem ambigo marte diu multumque agitatam quæstionem, an nimirum deficientibus omnibus fratribus fratrum liberi primi gradus soli existentes in stirpes, an vero in capita succedant: Veriorem & constitutioni Imperatoris convenientiorem eorum opinionem existimamus qui eos in capita succedere debere affirmant. Nam sive respicias jus antiquum, sive novum, utrumque nostræ sententiæ favere comperies, de jure antiquo res est clara ac evidens uti apparet ex *l.* 2. *§.* 2. *ff. de suis & legit. hæred.*

II. Tota jam est quæstio an jure novo jus antiquum hac in parte sit correctum, sc. per *nov.* 118. *cap.* 3. Nam aliis constitutionibus posteriorum Imperatorum ac ne Justiniani quidem in codice quidquam de hoc jure mutatum est. *l. pen. & ult.* §. 3. *Cod. de legit. hæred.* §. 3. *Inst. de legit. agnat. success.*

III. Sed hoc tantum abest ut hæc novella sententiæ nostræ magis uti dixi sit conveniens. Nam Imperator in *d. Nov.* tunc demum jus repræsentationis fratrum filiis concedit, quando concurrunt cum suis Thiis, ne sc. ab ipsis tamquam proximioribus excluderentur. Jam autem cum soli adsint & per consequens ipso jure tuti per successionem juris communis in capita, frustra petunt aliquod speciale privilegium repræsentationis,

per

per quod repræſentant alios proximiores, cum illis prædefunctis nullus talis adſit. Hanc ſententiam amplectitur doctiſſimus & acutiſſimus JCtus Zaſius in *tractat. de intellect. jur. ſing. folio 71. & ſequent.* qui nefas eſſe putat ab ea recedere, ut quæ textibus & ratione imo naturali æquitate manifeſte fundetur. Nam nihil eſt æquius, quam ut illi qui pares & conditione & gradu ſunt, pariter quoque ad hæreditatem admittantur, *vide & Vinn. in ſelect. quæſt. lib. 2. cap.* 30. Nec hoc tantum in allodialibus ſed etiam in feudalibus uti teſtatur idem Zaſius *in tract. de feud. folio* 51. vide & Minſingerum *cent.* 3. *obſerv.* 94. Moſſium *de feud. folio* 145. *& ſequent.*

CAPUT II.

De ſucceſſione fratrum illegitimorum.

THESIS I.

Fratres illegitimi ſicut filii illegitimi vel ſunt ſpurii vel naturales, hi vel conſanguinei, ſunt vel uterini, conſanguinei ut V. G. ſi quis ex pluribus concubinis, duos filios ſuſcepiſſet, vel ex Concubina unum, ex uxore alterum, iſti cum propter diverſam matrem neque habeant jus cognationis neque propter unum patrem jus agnationis, quia illud ex juſtis demum nuptiis oritur non tantum legitime natis non ſuccedunt, ſed etiam ſibi invicem ſuccedere non poſſunt Strickius. *diſſert.* 3. *cap.* 1. *num.* 35. Sneidwin. *de tertio ordine ſucced. num.* 42.

II. Fratres uterini ſeu ex eadem matre nati ſive naturales fuerint ſive ſpurii, ſibi invicem ut & omnibus ex matre collateralibus ſuccedunt. *l.* 2. *§. itaque.* & *l. ſi ſpurius* 4. *ff. unde cognat.* In tantum ut talis naturalis cum uterino legitime nato concurrat in alterius uterini legitime nati ſucceſſione Strickius. *d. loco num.* 36.

III. An vero & ſpurius ex matre illuſtri fratri uterino legitime nato ſuccedat controvertitur, nos cum Sneidwino *d. loco num.* 45. id affirmandum putamus, nam licet talis exiſtentibus liberis legitimis matri non ſuccedat *l.* 5. *Cod ad SCtum Orphit.* tamen ad collaterales hoc cum ſit odioſum non eſt extendendum; diſſentit Strickius *diſſ.* 3. *cap.* 1. *num.* 31.

IV. Fratres ex damnato coitu nati nec fratri legitime nato nec hic illis neque ſibi invicem ſuccedunt, nullum enim tales ex tam deteſtando,

ac

ac fere non nominando coitu nati consanguinitatis jus habere intelliguntur, qui neque liberi sunt nominandi, neque ipsis parentibus, nec hi illis succedere possunt. Sneidw. *d. loco num* 47. Strickius *d. loco num.* 39. Minsingerus *cent.* 3. *observ.* 9.

CLASSIS IV.

De successione conjugum.

I. Jure Civili conjuges sibi invicem succedere non potuisse nos angusta successionis ab intestato restrictio per ll. 12 Tabularum docet, quippe quæ suos demum heredes iisque deficientibus solos agnatos admittebant. Ex sola igitur æquitate prætoris conjuges beneficio bonorum possessionis deficiente omni sanguinis linea sibi invicem succedunt *l.* 1. *ff. quis ordo in poß.* §. 4. *vers. alium quoque inst. de bon. poß. juncta l. maritus Cod. unde vir & uxor.* Licet enim sanguinis ratio eos ad hæreditatem non vocet, Conjugalis tamen amor, & affectio atque corporum animorumque arctissima conjunctio nec non individua vitæ consuetudo inter conjuges existens §. *nuptiæ inst. de patr. potest.* summopere suadet conjugem superstitem omnibus aliis præferendum esse non tantum fisco, sed & collegiis licitis a quibus fiscus quoque excluditur.

II. Cæterum cum illa bonorum possessio a prætore est introducta & confirmata per *l.* 1. *Cod. unde vir & uxor.* neque per *nov.* 118. Correcta sequitur eandem adhuc hodie necessariam esse, Kolh. *de success. conj. part. pr. num.* 5. sic ut conjux superstes si succedere velit intra centum dies eam coram prætore sive judice petere debeat cum lapso eo tempore non amplius admittatur. *l.* 1. §. *si intra cum* §. *seq ff. de success. edict.*

III. Quæritur jam an hæc successio sit extendenda ad sponsum & sponsam? communiter Doctores distinguunt inter sponsum & sponsam de presenti, & sponsum & sponsam de futuro: illos admitti volunt hos non; sed cum hæc divisio sponsi & sponsæ rectius ab aliis rejiciatur & omnia sponsalia sint de futuro generaliter concludimus sponsum, & sponsam sibi invicem non succedere, quia inter eos nondum est matrimonium, sed promissio duntaxat matrimonii, deinceps contrahendi seu futurarum nuptiarum. *l.* 1. *ff. de sponsalib. v. & l.* 13. §. 3. *ff. ad L. Juliam de adult. l.* 24. *cod. de nuptiis l.* 41. *in pr. ff. de jure dot.*

IV. Cum autem jure prætorio conjux superstes non aliter succederet

quam deficientibus omnibus consanguineis mariti, sic ut si conjux inops esset in opprobium defuncti mendicare cogeretur. Justinianus hoc in casu corrigens & jus civile & jus prætorium, conjugi quoque subvenit, & voluit ut, si matrimonium esset sine dote, aut donatione propter nuptias, & conjux præmoriens fuerit dives, superstes autem pauper tunc illa vel ille succederet, una cum liberis, & quidem in quartam partem, si tres sint, vel pauciores, si vero sint plures filialem seu æqualem, *Nov.* 117. *cap.* 5. *auth. præterea cod. unde vir & uxor.* Et hoc saltem quoad usumfructum istius quartæ, vel virilis portionis, proprietatem vero conservare debet liberis si exstent, his vero non exstantibus potitur quoque Dominio ejus portionis, in quam imputatur quod ei relictum vel legatum est a conjuge. *d. auth. præterea.* Sneidw. *de success. inter virum & uxorem num.* 14.

V. Quis autem pauper hic censetur relinquendum est arbitrio judicis, cum id jure determinatum non reperiatur: Debet autem judex rationem habere & qualitatis personæ, ac rerum aliarumque circumstantiarum. Aliter enim nobilis censetur dives, aliter plebejus aut Rusticus. Sneidw. *d.l. num.* 16. Kohl *de success. conjugum part. post. num.* 39.

VI. Diximus si matrimonium sit sine dote, vel donatione propter nuptias, quid vero si dos vel donatio sit data, sed tam exigua, ut uxor vel maritus ea se sustentare non possit, num huic successioni sit locus; proculdubio hoc affirmandum est quia paria sunt nullam vel modicam dotem habere: Kohl *d. loco num.* 29. Et quia præcipua ratio hujus successionis est ne superstes in inopia vivere teneatur, sed ejus paupertas relevetur per divitias alterius, quæ ratio cum in ea quæ modicam sive per exiguam dotem intulit, æque locum habeat, quarta vel virili ei quoque debebitur. Kohl *d. loco.*

VII. Prædicta procedunt si matrimonium valide contractum, in eoque statu manserit, unde Imo conjuges contra leges in gradibus prohibitis contrahentes sibi invicem non succedunt, cum contra ll. faciens non mereatur lucrum legis; secundo si factum divortium, nam cum causa successionis conjugum sit individua vitæ societas, sic facto divortio cessante causa cessat quoque successio saltem ex parte nocentis, non innocentis. Carpzov. *resp. jur. lib.* 6. *resp.* 109. Kohl *de success. conjugum part. pr. num.* 40. Tertio, conjux conjugem interficiens aut necessaria alimenta non suppeditando, vel deserendo ægrotam, cum & sic mortis causam dare censeatur, indignum se facit successione, idque ne ex proprio delicto præmium ipsi obveniat Sneidw. *ad Inst. de success. conjug. num.* 21.

VIII. Toties enim conjux conjugi ſuccedit quoties ſibi invicem præſtiterunt debitum officium: hoc non præſtito nulla ſucceſſio. Carpzov. *d. loco reſp.* 109. *num.* 3.

CLASSIS V.

De Succeſſione Fiſci.

I. Fiſcus eſt ærarium Principis (nam hæ voces licet florente Republica Romana a ſe invicem diſtinctæ fuerint, confundi tamen cœperunt, ubi monarchica prævaluit auctoritas, Vinn. *in* §. *ult. Inſt. de uſucap.* omnia complectens quæ ad pecuniarium commodum pertinent inter quæ non minimum locum obtinent bona vacantia, quæ nihil aliud ſunt quam bona eorum qui ex hac ad alteram vitam ſine ullo hærede migrarunt.

II. Admittitur igitur fiſcus ſi defunctus nullum ex qualibet ſanguinis linea vel juris titulo legitimum reliquerit hæredem. *lib.* 4. *Cod. de bon. vacant.*

III. Dico ex qualibet ſanguinis linea, ſc. dum nulli adſunt deſcendentes, aſcendentes, & collaterales; *vel juris titulo.* Hoc nomine veniunt conjuges, ſocius liberalitatis Imperialis, ſi enim duobus ab Imperatore aiquid donatum fuerit, alter vero eorum nullo hærede relicto deceſſerit, fiſcus non admittitur, ſed ſocius adhuc ſuperſtes, ut ad conſortem potius ſolatium quam ad aliam perſonam pars decedentis perveniat. *l. unic. Cod. ſi liber. imper. ſoci.*

IV. Præterea juris titulo præfertur fiſco in ſucceſſione collegium, ſi enim defunctus fuerit collegii liciti ut decurionum, naviculariorum, cohortalium, & ſimilium, & ſine hærede deceſſerit, bona non ad fiſcum, ſed ad collegium devolvuntur. *l.* 1. & *tot tit. Cod. de Hæred. Decur. v.* & *l.* 20. *Cod. de Epiſcop.* & *Cler.* §. 3. *inſt. de ſucceſſione libertorum.*

V. Cæterum ut fiſcus admitti poſſit requiritur primo, ut bona vacantia ipſi a delatoribus intra quadriennium fuerint nunciata, *l.* 1. §. 2. *ff. de jure fiſci. l.* 10. *ff. de diverſis* & *temporalib. præſcript.* Poſt illud enim tempus fiſcus non amplius admittitur & poſſeſſores talium bonorum præſcriptione tuti ſunt *l.* 6. §. 7. §. *ſi quis omiſſu cauſa teſt. l.* 18. *ff. de uſurp.* & *uſucap.*

VI. Quod quadriennium computari oportet ex die quo certum eſſe cœpit neque hæredem neque bonorum poſſeſſorem exſtare. *d. l.* 1. §. 2. *ff. de jure fiſci* & *d. l.* 10. *ff. de diverſ.* & *temporalib. præſcript.*

VII. Secundo ut omnibus creditoribus ex iis satisfactum sit, nulla enim bona ad fiscum pertinere possunt nisi quæ creditoribus superfutura sint. *l. 11. ff. de jure fisci*, quamquam ex speciali privilegio fiscus ultra vires hæreditatis non tenetur. *l. 1. §. 1. ff. de jure fisci*, sive jam inventarium fecerit sive non.

Coronidis loco subjicio controversam illam quæstionem utrum fiscus ad legata & fideicommissa, præstanda sit obstrictus? Nobis contra plurium affirmativam verior videtur negativa.

PARERGA.

I.

Neque hæreditatis petitio neque ulla alia actio origine sua est mixta tam in rem quam in personam.

II.

Tutelæ datio est jurisdictionis legitimæ.

III.

Merum Imperium non potest mandari nisi in solo casu absentiæ.

IV.

Filio exhæredato tutor dari potest.

V.

Quod errore juris solutum est repeti nequit.

VI.

Non est in arbitrio minorum accipere curatores vel non.

VII.

Fidejussor qui se in majorem summam obligavit omnino non, id est, nullo modo tenetur, ne quidem in summam concurrentem.

VIII.

Mora rei non nocet fidejussori ad augendam obligationem nisi se in omnem causam obligaverit.

FINIS.